

עמי עשו

DISQVISITIO THEOLOGICA
De
PECCATO IN
SPIRITUMS.

Quam
AUXILIANTE SUMMO NUMINE
Sub PRÆSIDIO

VIRI Maximè Reverndi, Magnifici, Amplissimi,
Excellentissimi,

DN. JOHANNIS MEISNERI,
S.S. Theolog. Doctoris, ejusdemq; P. P. Famigeratis-
simi, Vener. Collegii Theol. Senioris gravissimi, Templi
Cathedr. Præpositi Vigilantissimi, Synedrii Ecclesiast.
Adsesoris dignissimi, meritissimi,
&c.

DN. Patroni, Præceptoris, Hospitis ac Promotor
sui etatem devenerandi,

In Almâ Wittebergenſium inclutâ
Publicæ Eruditorum Ventilationi
ſubjicit

SALOMON MÖLLERUS,

Gedano - Pruffus,

Ad diem XII. Octobr. Anno clj Ijc LXV.

In Acroaterio Majori, horis Antem.

Typis MICHAELIS Bendi.

Coll. diss. A
er 199, 35

517. A. 199 (35.)

~~XII. 10.~~
~~B. XII. 19.~~

DISPOSITIO THEOLOGICA
DE
RECCATIONE
SERRITUMS

DE
DILATIONE MENTIS



DE
DILATIONE MENTIS
DE
DILATIONE MENTIS
DE
DILATIONE MENTIS

DE
DILATIONE MENTIS



//
כ ט ט



Ureolum sanè dici meretur illud

Divi Aurelii, Viri verè sui nominis effatum quod habet L. I. de Moribus Ecclesiæ C. 22.

Nihil est notius quàm peccatum, ad intelligendum verò nihil secretius. Quo ipso, si & intellectus humani imbecillitatem, & Peccati, ratione ipsius

cognitionis summam difficultatem innuisse illum dixerim, haud sane à scopo me ablusisse existimarem. Multa enim adeo in vulgus nota, ut vel illud Satyrici locum ibidem inveniat (Juven. Satyr. I.)

Nota magis nulli domus est sua &c.

Non tamen semper quæ nota nobis, ea ipsa etiam probè intellecta sunt. Non semper corticem intuenti, medullam simul contemplari, aut in aditu comoranti, ipsa simul penitiora rei adyta lustrare integrum est. Superficiem rei interdum sentire, profunditatem ejusdem intellectu simul metiri haud licet. Quid æstuoso illo maris fluxu ac refluxu (tribuat hæc nobis de suo Physica) quid truci & vix unquam impunè viso cometâ, quid amicissimo illo magnetis ferriq; contubernio aliisq; his similibus rebus, quæ silentio jam præterire, quàm altius è cunabulis suis repeteremalumus magis magis, vel terræ etiam filiis notum? Quid v. ratione principiorum, in ipso naturæ foro, vel controversum, vel obscurum magis etiam oculatissimis deprehendimus? Enim verò sicut annosa quercus, quò magis cacumine suo prominet, eò altiores egit radices; & quò magis, superiorem si spectes partem, in omnium sensus atq; oculos incurrit, eò magis inferiora quæq; tegit ac omni oculorum tum lumini, tum acumini subtrahit: eodem modo, ipsa Rerum Parens natura, relecta etiam adhuc tegitur, & visa non videtur. Prominet magnâ sui parte, majori autem agrè conspicitur, maximam deniq; in recessu servat.

A 2

Quod

Quod si è Naturâ ad Scripturam, è Physiologiâ ad Theologiâ transitum facimus, ecquis, quæso, non, Mentem in Naturalibus caligantem, hîc planè cœcutire pronunciarer? Adeo enim illa parum, imo nihil hîc in se ipsâ invenit auxilii, ut nisi Spiritus S. hic idem nobis, quod Pharos olim navigantibus, præstet, in vasto illo & inexhausto mari, aut ventorum turbini nos committere, aut jacturam facere, aut deniq; extrema quæq; expectare necessum haberemus. Adeo in foro hoc spirituali arduæ, adeo graves & intricatæ aguntur causæ, ut frustra hîc sit Socratis, hominum sui ævi (oraculo teste) sapientissimi lumen, frustra Stagyritæ acumen, frustra disertissimi Romulidum Neptum flumen. Acumine sanctiori, lumine clariori, & ut verbo dicam, ipso Spiritu S. opus habet, quisquis vel minimum in Theologiâ cognoscere avet. Nota, quidem, fateor, etiam hîc multa deprehendas; sed omnis illa notitia, si accuratius rem pensites, umbræ, quàm luci, ignorantia, quàm cognitioni erit similior. Non nostri jam est instituti, rem illam prolixius exequi. Vel unam quis cum D. Augustino PECCATI doctrinam consideret, & si quid judicare valeo, herbam dabit. Terminus equidem mali illius sat multis cognitus, accuratior ejus Doctrina omnibus haud æquè perspecta. Inprimis autem non parum gravitate sua Doctissimos etiam quosq; exercere videntur duæ illæ specialiores hujus Articuli Doctrinæ; de labe videlicet Originali & Blasphemîâ in Spiritum sanctum, de quâ posteriori Augustinus Serm. 2. de V. D. fatetur DEUM exercere nos voluisse difficultate quæstionis de hoc Peccato, cum in omnibus Scripturis S. fortè nulla major, nulla difficilior inveniatur.

Priorem Peccati Originalis considerationem intactam in præsentiarum relinquimus, posteriorem pro ingenii nostro modulo, Duce ipso Spiritu S. per Verbum revelatum (cujus auxilium & regimen devotissimis precibus etiam atq; etiam imploramus) ventilandam nobis sumimus. Sit igitur שְׁמִינִי

Quatuor TRACTATIONIS universæ CAPITA.

I. Vocum Spiritus & Peccati seorsim consideratarum Homonymiam tollit; quid Peccatum in Spiritum S.

פֶּגַעוֹת

- Ἐξ ὧν* Scripturæ significet, exponit, & quibus aliàs
 Synonymis illud exprimi soleat fusius deducit.
 II. Falsas de Peccato in Spirit. S. sententias refutat.
 III. Ipsum hoc Peccatum ex limpidissimis Israëlitis fontibus,
 secundum Genus & requisita sua examinat.
 IV. Quæstiones nonnullas ut & Consecraria quædam ad
 meliorem hujus Doctrinæ elucidationem pertinentes proponit.

CAPUT PRIMUM.

VOCUM SPIRITUS & PECCATI
seorsim Consideratarum Homonymiam tollit; quid
PECCATUM in Spir. S. Ἐξ ὧν Scripturæ significet,
exponit, & quibus aliàs Synonymis illud ex-
primi soleat fusius deducit.

THESES. I.

TERMINUS PECCATI, hîc non tam in
significatu famosiori, quo per ἀνομιαν cum Scripturâ
 tanquam per genus proximum definiri solet, & illegali-
 tatem, seu id quod directè in Legem moralem
 impingit denotat; *sed magis peculiari*, prout spe-
 ciem ἀμίσιας, seu Veritatis cœlestis semel & sufficien-
 ter agnitæ liberam & Voluntariam abnegationem,
 cum hostili pertinaciq; oppugnatione & blasphem-
 iâ conjunctam notat, & *Evangelio contrariatur*,
 sumi debet

Ἐκ θεοῦ.

§. I. Non jam nostri est instituti, ipsum Peccati Etymon sub
 accuratiorem judicii limam revocare. Si tamen aliquid dicen-
 dum, certum est nomen hoc natales suos debere antiquo illi Ver-
 bo PECCARE, quod quibusdam à pecus, aliis ab illicito cum

pellice congressu denominatur; Ita ut secundum hos *Peccator* quasi *Pellicator* dicatur, ut vult Isidorus L. 10. Etymolog. in lit. P. Peccator, inquit, dicitur à pellice, i. e. meretrice, vocatus quasi pellicator, quod nomen apud Antiquos tantum *Flagitiosum* significabat; postea transit in appellationem omnium iniquorum. Sed nos controversiam hanc nostram non facimus, uberiorem causæ cognitionem, plenissimamq; decisionem Criticorum ordini relinquentes.

§. 2. Cæterum hoc Vocabulum ex communi usu ad praxin tandem Biblicam & Ecclesiasticam applicari cœpit, ita ut illo ipso Ebræorum חַטָּאָה / חַטָּאָה / עוֹן / פֶּשַׁע Græcorum *ἀμαρτία*, *ἁμαρτία*, *ἁμαρτία* &c. exprimerentur.

§. 3. Sed & hic non unum tantummodo admittit sensum. Accipitur enim I. Vel pro ipsâ culpâ, quæ contra expressam DEI legem contrahitur, & simul pro reatu, cui exorbitantes omnes Legis rigor facit obnoxios ut Exod. 32. v. 21. ubi Moses ad Aarone[m]. Quid tibi fecit hic Populus $\text{כִּי הִכַּתְתָּ עָלָיו חַטָּאָה גְדוֹלָה$ ut induceres super eum Peccatum maximum Deut. 24. Ne clamet contra te ad Dominum $\text{וְהָיָה בְךָ חַטָּאָה}$ & reputetur tibi in Peccatum &c. Vel II. pro Reatu tantum ut Gen. 43. v. 9. Nisi redduxero & reddidero tibi $\text{וְהָיָה לְךָ כָּל-הַיּוֹמוֹת}$ ero Peccati reus omni tempore. III. Pro Victimis Peccatorum expiatoriis, quia nimirum in illas Peccata Populi imponebantur, & hoc sensu usurpatum legitur Vocabulum hoc Exod. 29. v. 36. וַיִּשְׁחַט quod ad Verbum sonat; & Juvenum Peccati; à Megalandro vero Nostro Luthero sensum potius quàm Verba attendente, *Einen Jarren zum Sünd-Opffer* / & quidem accuratissimè translatum videtur. Huc procul dubio Paulus respexit 2. Cor. 5. v. 21. inquit; $\text{τὸν μὴ γνώστα ἀμαρτίας, ὑπὲρ ἡμῶν ἀμαρτίας ἐποίησεν}$. Ubi τὸ facere Peccatum, idem est ac innocenti per omnia, non secus ac ipse reus esset, illud imputare, ac geminum in modum intelligi potest. (a) Quod Christus factus sit victima pro nostro Peccato Joh. 1. v. 29. Ecce agnus DEI, qui tollit peccata mundi Esa. 53. v. 6. Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum, quo eodem sensu Christus Gal. 3. v. 13. dicitur factus κατάρα maledictum; quia nimirum tristissimum illud legis

legis **מְדַבֵּר בְּדִבְרֵי הַתּוֹרָה** Maledictus qui
 non permanet in Sermonibus Legis hujus &c. Deut. 27. v. 26.
 morte suâ acerbissima expiavit. (β) Quod DEUS Pater, eum, qui
 non nôrat peccatum, qui erat ipsissima justitia, Peccatum fecit
 pœnam omnibus omnino hominibus ex Justitiæ divinæ tenore ir-
 rogandam, Soli illi, omnium Peccatorum vices subeunti inflixe-
 rit, illumq; in se justum, imputative pro Scelestissimorum sce-
 lestissimo habuerit. Hinc Anshelmus ad illa verba, prouti citat
 illum D. Joh. Quistrup. Senior in Not. Bibl. ad h. l. *Ipsè ergo, in-*
quit, Peccatum, ut nos Justitia, non nostra, sed DEI, nec in nobis,
sed in ipso: sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum, nec in se, sed in
nobis constitutum, similitudine carnis peccati, in quâ crucifixus est.
 Quam utramq; loci hujus explicationem optimè simul stare posse
 existimamus, cum unum, alterum non tollat, sed explicet; licet
 non ignoremus Viro magni nominis, (si errorem ejus de Peccato
 excipias) Flacio priorem explicationem parum probari, uti vi-
 dere est in Clavi Script. S. sub Voce Peccati p. 878. IV. Pro ansâ
 ac incentivo ad Peccatum. Eo modo vitulus æneus Mosi **כְּסֶלֶן**
 seu Peccatum Populi Israëlitici dicitur Deut. 9. v. 21. quia nimi-
 rum per illum peccârunt. Ad quem accipiendi modum improp-
 rium Jesuita Becanus in manuali suo Controv. L. I. Cap. 14. n. 4.
 Locum ad Rom. 6. v. 12. Non regnet Peccatum in mortali vestro
 corpore, *εἰς τὸ ὑπαρξέν αὐτῆ ἐν ταῖς ἀσθενείαις αὐτῆ* &c. referen-
 dum censet. Quâ in re idem propugnantes habet Concilium
 Tridentinum Sess. V. cujus hæc sententia: *Hanc concupiscentiam,*
quando aliquando Apostolus Peccatum appellat, Sancta Synodus decla-
rat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse Peccatum appellari,
quod verè & propriè in Renatis Peccatum sit: sed quia ex Peccato est,
& ad Peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit anathema
sit. Et Bellarm. L. V. de Am. Gratiæ Cap. X. qui concupiscentiam
 impropriè per figuram metonymiæ Peccatum vocari dicit, eò
 quod sit causa Peccati, si ei obediatur. Alios idem cum his sen-
 tientes non adducimus, partim quia idem planè habent, partim
 quia minus ad nostrum institutum id esse videtur. Quàm vero &
 Tridentini illi Patres, & Primipilus ille Pontificiorum Bellar-
 minus cum Societatis suæ homine Becano, à sensu Apostoli &
 ipsâ

ipsâ

ipsâ orthodoxiâ abeant, videatur fusè apud Nostrom Theologiæ ocellum B. illum Chemnitium in aureo Concilii Tridentini examine Part. I. Loco de Concupisc. ad Sess. V. Concil. Trid. & nunquam satis laudatum B. Meisnerum Anthropol. S. Dec. I. Disp. VIII. p. 235. seqq. quos hoc in loco consuli, quam ut chartam nobis impleant consulere malumus.

§. 4. Sanè *παρρησιας* reos esse Pontificios, vel aurea illa interpret. S. S. Script. Regula satis evincit, quæ Scripturam de Articulis fidei in sede propriâ nunquam tropicè loqui, aut certè si id alicubi fiat, tropum illum ab ipsâ explicari monet. Sed hæc levi brachio attigisse sufficiat, cum luce meridianâ clarius sit locos illos Paulinos, in quibus Concupiscentia pro Peccato habetur ad hunc Peccati significatum minimè pertinere, neq; favere Pontificiæ sententiæ Augustinum, quem toties in hâc causâ pro se allegant; quippe qui rectè intellectus tantum abest ut ad sententiam illorum accedat, ut potius iisdem in os contradicat. Ex multis duo tantummodo ejus loca, non numero, sed pondere verborum pugnaturi, producimus. Primum quidem desumimus ex Lib. V. contra Jul. C. 4. ubi expresse modò laudatus Pater: *Discerne, inquit, mala que per patientiam sustinemus, ab iis malis, que per continentiam refrenamus.* Ubi per malum illud posterius, quod aliàs ad discrimen mali Pœnæ, malum culpæ à Theologis dici solet, nihil aliud nisi concupiscentiam intelligit. Alterum, eumq; clariorem, petimus ex Lib. V. contra Jul. cap. 3. *Concupiscentia (ipsissima S. Patris verba sunt) adversus quam concupiscit Spiritus, & Peccatum est, quia inest illi obedientia adversus dominatum mentis, & Pœna Peccati est, quia reddita est meritis inobedientie, & Causa Peccati defectione consentientis, vel contagione nascentis.* Sed de his, uti dictum supra fusius videantur Auctores supra laudati. Nos ad institutum revertimur.

§. 5. Quoties igitur jam Vox Peccati in Foro Theologico in doctrinâ & Articulo de Peccato occurrit, toties in primo significato, quatenus *ἀνομία*, i. e. transgressionem moralem Legis, & reatum ex illâ contractum denotat, accipitur. Sic autem accepta Vox Peccati distingvitur vel in Malum originale, quod propriè in *ἀπυσία* Justitiæ originalis concreatæ Ps. 14. v. 3. 53. v. 4. Rom.

Rom. 3. ψ . 10. 11. 12. 23. & $\pi\alpha\rho\chi\sigma\iota\alpha$ simul formæ contrariæ, totius nimirum naturæ profundissimâ corruptione consistit. Rom. 7. ψ . 17. 18. 19. Hebr. 12. ψ . 1. & Peccatum Actuale, quod formaliter nihil aliud est, quàm $\alpha\nu\omicron\mu\iota\alpha$ particularis in mali commissione, & boni omissione consistens, de hoc intelligendus David Psal. 19. $\Gamma\eta\eta\gamma\psi$ Errores, aberrationes quis intelligit, ab occultis meis munda me.

§. 6. Quæritur igitur jam an etiam terminus Peccati $\kappa\alpha\tau\alpha\ \tau\omicron\nu\ \alpha\kappa\rho\iota\beta\eta\ \lambda\omicron\gamma\omicron\nu$, in causâ blasphemiam in Spir. S. eodem planè modo, prout vox illa moralem transgressionem & inde contractum reatum denotat, accipienda veniat?

§. 7. Hujus Quæstionis solutionem antequam aggrediamur, primò omnium notamus, nobis hîc non sermonē esse: An blasphemiam hæc rectè Peccatum dicatur? Quâ de re, cùm ipsam Scripturam in Ep. ad Heb. 6. ψ . 6. ubi Vocabulum $\theta\upsilon\sigma\mu\acute{\alpha}\sigma\iota\sigma\iota\nu$ & 1. Joh. 5. ψ . 16. ubi ipsissima $\alpha\mu\alpha\rho\tau\iota\alpha\varsigma$ vox, & quidem cum adjecto $\omega\pi\epsilon\sigma\varsigma\ \theta\acute{\alpha}\nu\alpha\tau\omicron\nu$ adhibetur, habeamus præviam, non est ut prolixè disquirere velimus.

§. 8. Nec 2. Quæritur, Annon Vox Peccati $\chi\upsilon\iota\kappa\omega\varsigma$ sumpta, quamvis exorbitantiam, sive illa contra Legis, sive etiam contra Doctrinæ Evangelicæ tenorem committatur, commodissimè significare possit? Nam & id utrâq; manu largimur.

§. 9. Sed deniq; 3. caput quæstionis est. An Vox illa Peccati, quæ aliàs in recepto Ecclesiæ sensu ut dictum supra $\theta\upsilon\sigma\mu\acute{\alpha}\sigma\iota\sigma\iota\nu$ Legis, & sic Peccata morum denotat, eodem quoq; sensu hic sumenda, an verò potius $\epsilon\iota\delta\iota\kappa\omega\varsigma$ sumptam $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha\varsigma$, quàm ipsam $\alpha\nu\omicron\mu\iota\alpha\varsigma$, aut pugnam cum Lege morali significet?

§. 10. Ad hoc jam respondemus Peccatum hîc loci non tam $\alpha\nu\omicron\mu\iota\alpha\varsigma$ proximè, quàm immediatè $\alpha\pi\iota\sigma\iota\alpha\varsigma$ denotare, quod ut statuamus sequentibus potissimum inducimur rationibus.

I. Enim Blasphemiam hæc in Spiritum, pro objecto suo non legem, sive illa ratione morum sive ratione doctrinæ spectetur; sed ipsum Evangelium habet, quod fusius deinceps demonstratum dabimus.

II. Quia omne Peccatum strictè & in sensu suo recepto sumptum, quatenus transgressionem Legis notat, si non actu semper
B certe

certè potentiâ remittitur & sic remisibile est, Matth. 12. v. 31. Conf. Glas. Phil. S. L. 3. Tract. 3. Can. V. p. 555. blasphemia autem hæc, secundum ipsum Veritatis fontem Christum, neq; in hoc, neq; in futuro seculo, hoc est nunquam remitti potest. Vid. I. Matthæi cit. & simul conferantur illa quæ inferius dicturi sumus.

III. Quia omne Peccatum aliud, excepto tamen Peccato in Filium Hominis (quod uti multa alia cum Peccato in Spir. S. communia habet, ita in hoc quoq; cum eodem convenit, quod idem sibi cum illo objectum tribuat) aut committendo interdictum, aut omittendo præceptum pœnam incurrit divinam & reatum sibi contrahit. Peccatum v. in Spiritum S. ipsum tam omissorum quam etiam commissorum delictorum media expiatoria Christum scil. cum universo suo merito quatenus ille Peccatori ab ipso Spiritu S. per ministerium Verbi & Sacramentorum offertur, rejicit & blasphemè tractat.

IV. Quia reliqua Peccata omnia (iterum Peccatum in Filium hominis excipio) æqualiter & in Patrem & in Filium & in Spiritum S. committuntur. Hoc verò ἐν ὕβρισμα specialiter in tertiam Deitatis Personam in officio suo spectatam committitur; hinc expresse etiam aliud à Peccato in Filium hominis esse dicitur, Matth. 12. v. 32.

§. II. His igitur benè observatis facile cuivis patescere arbitror, Terminum Peccati in causâ hac, non tam sub notione famosiori quâ ἀνομιαν notat, sed magis peculiari quâ ἀπείθεια & constantissimam mediorum salutis à Spiritu S. in gremio Ecclesiæ oblatorum, vel promerentium, Christi scil. cum meritis, vel conferentium, Verbi & Sacramentorum, vel deniq; recipientium, assensûs nimirum fiducialis liberam & ex plenâ voluntate ac destinatâ malitiâ rejectionem, eamq; cum veritatis oppugnatione & blasphemîâ conjunctam involvit, accipiendam esse. Conf. B. D. Meisnerus Anthrop. S. Decad. 1. Disp. X. De Pecc. in Spir. S. Qv. 2. pag. mihi 322. Et hinc est quod actus hicce abominabilis, nunquam in Scripturâ S. nudè ἀναγία, sed cum adjecto ἀναγία πρὸς τὸ θεῶν Joh. V. vel etiam Vocabulo summè emphatico blasphemia Spiritûs vel blasphemia in Spiritû dicatur. Quod verò dubium illud, quod non nemo nobis ex I. Joh. 3. v. 4. (ubi

(ubi omnis ἀμαρτία per αἰνοῦσαν definitur) objicere posset, attinet, ad id quomodo respondendum sit infra Cap. 3. dispiciemus.

THESIS II.

Vox Spiritûs hîc non ἔσσοδῶς seu Essentialiter; sed ὑποστατικῶς seu Personaliter, pro Tertia Deitatis Personâ, non tamen ratione essentiæ; sed ratione Officii proprii, quod est mentes humanas mediante Verbo & Sacramentis illuminare, de Voluntate DEI testari, & certis operibus verbi divini virtutem comprobare &c. intelligenda venit.

Ἐκθεσις.

§. 1. Non operæ precium censemus diversas ἄ Spiritûs significationes, quas subinde vox illa in Scripturis sustinet, operosius hîc conquirere, videat illas, qui voluerit in clave Flacianâ sub Voce Spiritûs. Nos in præsentiarum duo potissimum notatu maximè necessaria censemus.

§. 2. Primò Vocem Spiritûs hîc non ἔσσοδῶς seu Essentialiter capi, in quâ suppositione Joh. 4. ὕ. 24. usitatum illud legimus. Πνεῦμα ὁ Θεός, ubi τὸ πνεῦμα essentialiter, quatenus totam S. S. Trinitatem essentiæ spiritualis esse denotat, accipiendum est. Errat proinde Genebrard. L. 3. de Trin. in Exposit. Symb. Athan. n. 25. ad Verba illa Unus Spiritus S. qui per Peccatum in Spirit. S. intelligit Peccatum in Deum, i. e. in S. S. Trinitatem. Sed 2. capi ὑποστατικῶς seu Personaliter, ita ut non immediatè ad Essentiam, sed ad officium Spiritus S. quod, uti dictum supra, per specialem S. S. Trinitatis οἰκονομίαν in Ecclesia Dei obtinet Joh. 16. ὕ. 7. seqq. respiciatur. Licet enim illuminatio, exhibitio Verbi & Sacramentorum, ut & ipsa Sanctificatio fidelium sint opera DEI ad extra, toti S. S. Trinitati, perinde ut Creatio, Redemptio &c. communia, ita ut Peccatum hoc, enumeratâ hæc DEI opera blasphemè tractans & malitiosè respuens in totam S. S. Τριάδα injurium esse dici queat; tamen cum in his etiam operibus ordo quidam Personarum servandus sit, qui nec in Creationis & Redemptionis opere negligendus venit, peculiariter Peccatum

hoc in Spiritum S. esse dicitur, quia nimirum Pater & Filius opera hæc per Spiritum S. exsequuntur, unde etiam Peccatum hoc, (uti monitum supra) Matth. 12. v. 32. à Peccato in Filium hominis distinctum legimus. Audiamus hæc de re Magni nominis Theologum B. Dorschaum in Part. 2. Synops. Theol. Zacharianæ Disp. V. Loco 2. de Deo Uno & Trino p. 194. *Quando, inquit, Matth. 12. v. 31. βλασφημίας πνεύματος* sit mentio, terminus Spiritus non accipitur communiter, quatenus tota adoranda Trinitas est Spiritus æternus & infinitus. Dicitur namq; iste ἐν θεοῖς & ista βλασφημία Peccatum in Spiritum S. & non in Patrem neq; in Filium. Christus enim hoc aperte discernit à Peccato in Filium Matth. 12. v. 32. At si vox Spiritus, quando Peccatum in Spir. S. describitur, simpliciter sumeretur communiter seu essentialiter pro ipsa ἁγία & Essentiâ divinâ, aut virtute Dei substantiali absolutâ, tum non esset Peccatum non in Filium, non in Patrem, sed equaliter in hunc & illum. Nam divina natura seu essentia ex æquo competit Patri & Filio. Et divina virtus Substantialis absoluta realiter nec à Patre, nec à Filio distinguitur. Nec dicendum est cum nonnullis, aliàs S. S. Trinitatis dogma nobiscum profitentibus. Patrem κατ' ἐξοχὴν Deum esse, eò quod Filius sit à Patre, non Pater à Filio. Nam si propterea Deus Pater est gradu quodam eminentiori & præcellentiori Deus, quàm Filius, quia Filius est à Patre, Pater verò non est à Filio; tum etiam Filius gradu excellentiori erit Deus, quàm Spiritus S. quia Spiritus S. à Filio est, non Filius à Spiritu S. At hoc absurdum est. Nomen igitur Spiritus est HYPOSTATICÈ intelligendum, ita, ut Peccatum hoc certâ quâdam ἰδιοποιήσεως ratione, contradistinctè ad Peccata in Filium, Peccatum in Spir. S. dici possit. Intelligitur autem Hypostasis Spiritus S. cum μετὰ τὴν scil. non immediatè, neq; per ἐν θεοῖς & raptus, sed per Ministerium Verbi & Sacramentorum divinorum homines illuminantis, & de DEI voluntate testificantis, & certis operibus veritatem Verbi divini comprobantis. Conf. illi citatos B. Feurborn. Cap. 5. Zanchium de Trib. Elohim L. 7. C. 2. p. 270. Magno Theologo jungere lubet non minoris famæ B. Meisnerum in Anthropol. S. Dec. I. Disp. X. quæ est de Pecc. in Sp. S. Qv. 1. m. p. 310. ubi sic infit: *Blasphemia ista Specialis totam quidem lædit Trinitatem, attamen in Spir. S. potissimum ferri dicitur, quoniam contra Sanctificationem ejus, quæ illi ut*

pro-

proprium opus adscribitur, primario dirigitur. Quibus gemina videtur apud B. D. Köningium, illum *ἄνθρωπος ἁγίος* Præceptorē meum quondam Rostochii Fidelissimum, Virum non mihi tantum, sed omnibus etiam qui noverunt EUM, & adhuc ex Scriptis nosse illum discunt, nunquam sine laude nominandum in Theol. Positiv. Acroam. de Pecc. in Sp. S. p. 93. seq.

THESIS III.

Dicitur aliàs hoc Peccatum in Spir. S. vocibus Synonymicis Blasphemia Spiritûs, *παράπρωσις*. Peccatum ad mortem.

Ἐκθεσις.

§. 1. Blasphemia Spiritûs dicitur Peccatum hoc Matth. 12. v. 31. Dicitur autem *βλασφημία* ὡς εἶβλάπτειν τὴν Φήμην à la sione Famæ, & quidem, si Grotio ad Cap. 9. Matth. v. 3. credimus præcipuè Vocabulum hoc Græcis, Domini injuriam notat. In Sacris, teste Flacio subhâc voce, non quodvis genus maledicti aut convitii, sed propriè id, quod contra Deum aut ejus Religionem dicitur designat. Hebræis Maledictio ejusmodi *ללהק* dicitur. Sic Verbum *להק* cui natales suos *להק* debet, expressè in causâ blasphemix in Deum effusæ adhibitum legitur Lev. 24. v. 11. Ubi de Filio mulieris Israëliticæ dicitur *ויקרב בן-השנה* *להק* *והשנה* *את* *היהוה* *אלהיו* ubi τὸ *להק* ceu ἐπεξήγησεν πρὸν prioris *ויקרב* & maledixit adhibetur. Obiter autem notandum, quod Futurum Verbi *כבד* maledixit puncta sua in futuro, à Verbo *קבד* (quod præter *maledicendi significatum* etiam idem ac *transfixit, transfodit* valet) mutuetur, id quod emphasi suâ non caret. Gemina enim illa significatio in blasphemix optimè locum invenit, cum blasphemus id unicè intendat, ut maledicâ suâ lingvâ existimationem & auctoritatem Summi Numinis arrodât, perforât & quasi transfigat. Latius tamen Hebræis vox *להק* & inde deducta *ללהק* patet, ita ut etiam execrationem hominis in hominem ambitu suo complectatur. Conf. Lev. 20. v. 9. Gen. 27. v. 12.

§. 2. Notanter autem blasphemia hæc vocatur cum *πρὸς τὸ πνεῦμα* *βλασφημία*. Ubi notandum, quod vox Spiritus

hic non stet in suppositione cause, à quâ scil. effectus ille, nimirum blasphemia dependet; Sed *Objecti* vices subeat. Unde quod Matthæus Cap. supr. cit. 12. v. 31. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον & βλασφημίαν dixerat, illud v. seq. 32. per λόγον κατὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον exprimit. Et notantius ad huc Marcus C. 3. v. 29. ὅς τις ἀνβλασφημήσῃ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Opera precium hîc nobis videtur Megalandri Nostri Lutheri verba, quæ habet super Cap. 2. Epist. Galat. ad Θεσσαλονικίους illam v. 7. Εὐαγγέλιον τῆς πίστεως melioris dilucidationis ergo apponere: *Obiter hîc, inquit, admonendum est, Hebræos constructionem Genitivi variè accipere, jam activè, jam passivè. Id quod sepe obscurare solet sententiam. Exempla passim obviam sunt in Paulo & totâ Scripturâ. Ut hæc oratio, Gloria DEI, nonnihil est obscura, quia activè & passivè exponi potest. Gloria DEI activè, quâ Deus in se gloriatur, passivè quâ nos in DEO gloriamur. Sic Fides Christi &c. Nos (pergit idem) tales sententias passivè exponimus, ut Christi fides, est quâ Christus creditur. Sic Evangelium DEI activè vocatur, quod solus Deus dat & mittit in mundum. Evangelium præputii & circumcisionis passivè, quod ad gentes & Judæos missum & ab ipsis receptum est. Hactenus Lutherus. Cujus verba si ad præsens negotium applicare vellemus, dicendum nobis esset, Blasphemiam Spiritûs hîc non activè, sed passivè sumi, id quod eodem recidit cum distinctione supra allatâ ubi terminum Spiritûs hîc non effectivè, sed objectivè sumendum monebamus.*

§. 3. Per hanc blasphemiam Hilarius Com. in Matth. Ambros. Comm. super Evang. Luc. II. T. 3. Lib. 6. p. 69. Blasphemiam quamvis, quâ expressis Verbis honori, aut totius S.S. Trinitatis (termino Spiritûs essentialiter accepto) aut Tertiæ Deitati Personæ Spiritui S. (termino illo Personaliter sumpto) aliquid detrahitur hîc intellectam volunt. Hinc claris verbis Chrysostomus Tom. 2. in Cap. Matth. Hom. 42. Col. 371. 372. *Peccatum, inquit, in Spiritum S. est quævis blasphemia, quâ honori, sive totius Trinitatis, sive speciatim Spiritûs detrahitur.* Et sanè, si quis verba illa Matth. 12. v. 31. & Marc. 3. v. 29. non collatis etiam aliis locis minus accurate consideret, plausibilis, fateor, hæc Patrum sententia, videri cuidam posset. Hinc etiam Gregorius de Valentia Tom. 3. Disp. 1. Quæst. 14. Puncto 1. asserere non dubitavit, hanc Patrûm senten-

sententiam valdè Textui Evangelico consentaneam esse, qui tamen iudice B. D. Huttero L.L. C.C. Art. X. pag. juxta edit. noviss. 364. insignem hęc inscitiam suam prodidit.

§. 4. Etenim, si verba citata penitius introspiciamus, & ipsam etiam Servatoris mentem accuratius, prouti par est, pensitemus, hanc Patrum sententiam nullo modo locum invenire facillimo negotio deprehendemus.

§. 5. Quod si enim (α) Verba id vellent; Omnem blasphemiam contra honorem S.S. Trinitatis prolata esse Peccatum in Sp. S. sequeretur utiq; indivulso nexu, idem etiam sentiendum esse, de Verbis blasphemis contra secundam Deitatis Personam, Filium scil. Dei prolatis. Jam verò certum est, blasphemiam in Servatorem à Servatore ipso remisibilem, Peccatum verò in Spiritum S. expressis verbis irremisibile dici. Contradictoria igitur de uno eodemq; Subjecto simul vera esse non possunt. Hinc ita argumentamur:

Quodcumq; per remisibilitatem à Peccato in Spir. S. expressè distingvitur, illud sub hujus, utpote distincti ambitu non comprehenditur. Atqui Peccatum seu blasphemia in Filium hominis per remisibilitatem expressè à Peccato in Spir. S. distingvitur. E.

Major certa est; remitti &c. & non remitti, sunt termini Contradictorii, qui simul de eodem Subjecto dici nequeunt.

Minorem pro me probat textus Evangelicus Matth. 12. v. 31. 32.

Conf. Ebr. 6. v. 4. 5. 6. & Eb. 10. v. 26. 1. Joh. 5. v. 16.

Non dicam jam, quod hujus Sententiæ Assertores, planè immemores sint illius Paulini 1. Tim. 1. Ubi ingenuè Apostolus fatetur se βλάσφημον (in Deum scil.) fuisse, nihilominus tamen paulò post subnectit ἀλλ' ἠλεήθην sed misericordiam consequutus sum. Certum vero est de Peccato in Spirit. S. id dici non posse, quippe cui omnis ad misericordiam aditus, exclusâ planè omni limitatione intercluditur, uti ex locis Evangelicis & Epistolâ ad Ebræos quæ Peccatoribus in Spiritum S. nihil nisi φόβον ἐκδοχῶν κρείσσει, ἢ πύρον ζήλον reservavit, visitur. (β) Si verba illa ita intelligenda essent, ut Peccatum in Spiritum S. sit illud, cum

cum

cum difertis verbis blasphematur Spiritus S. ipsiusq; honori aliquid detrahitur; non sanè negaremus *Vivocis* blasphemiam talem, non incommodè dici posse Peccatum in Spirit. S. Quod si verò ex propriâ hujus Peccati formalitate, & sensu ipsius Salvatoris judicium formandum est, his sanè circulis Peccatum hoc, quod in Spiritum S. dicitur contineri nequit. Rectissimè scil. D. Feurborn. in Dissert. suâ de Pecc. in Spir. S. Cap. V. p. 35. *Non, inquit, nego ἄνευ ἁμαρτίας Peccatum in Spir. S. dici posse & illud, quod vel in moribus & vitâ, vel in doctrinâ, sive scienter, sive ignoranter, vel qualicung; modo alio patratur. Nam Ananias mentiens Spiritui S. peccavit quoq; in Personam ipsius. Quod si vero ita latè Peccatum in Spir. S. sumatur, tum impingit pariter in reliquas adorande Trinitatis Personas, estq; remissibile. Ast S. Scriptura non ita laxè Peccatum hoc accipit, verùm pressè, μονοτεθόπως ἔξαιρέτως pro Peccato irremissibili. Quia igitur cum S. literis non tantum sentire; sed etiam loqui tenemur, tum etiam ex hac laxâ & latâ, quam S. Scriptura ignorat, Peccati in Spir. S. acceptione, facilè quis possit perturbari, hinc ab illâ vel prorsus nobis est abstinendum, vel è vestigio necessaria & proficua appellationis hujus generalioris & latioris explicatio est addenda, hæctenus ille. Quod si enim (ut exemplo res fiat clarior) non nemo vel ex imprudentiâ, vel non sufficienter expensis apertissimis Scripturæ dictis, vel ex malitiâ etiam quadam Spiritûs S. Deitatem negaret, & minus honestè de ejus Personâ sentiret, is sanè in Peccato mortali, adeoq; in statu periculosissimo constitutus esset, reus enim teneretur Peccati contra primum Decalogi præceptum, quod timorem & reverentiam DEO jubet præstandam elatâ manu (malitiam potissimum respicimus) commissi; & si permissus divino contingeret hominem talem in hoc statu mori, nullum eîset dubium, quin venenatam hanc suam injuriam, utpote Peccatum mortale, (quod remissibile aliàs, accedente finali perseverantia irremissum redditur) æterno supplicio & infinitis in infernali illo lacu cruciatibus luere teneretur. Quod si vero blasphemus ejusmodi, speciali indultu divino superstes in vivis maneret, nondum sanè conclamatum esset de ejus salute. Nondum huic inferni Candidato omnis ad meliorem mentem & μετάνοιαν aditus interclusus esset,*

esset,

esset, quod si enim serio peccatum hoc à se commissum doleret, sententiam suam cum meliori commutaret, nullus dubitarem, quin *λύτρον* illud sanguinis Christi sufficientissimum, huic etiam homini, veniam huius, utut horreni & summè execrabilis peccati conferre valeret. Ubi enim abundavit peccatum, ibi, dicente Apostolo Rom. V. v. 20. *ἵνα ἕνεκεν ἑνὸς εὖσει ἡ χάρις*. Nondum enim huiusmodi Peccator omnia salutis media constanter & pertinaciter rejecit, nondum contra conscientiam semel agnitam veritatem ejuravit, & modis, quibus potuit omnibus persequutus est; sed potest adhuc si meliora edoceatur sententiæ suæ nuncium mittere. *Quamquam igitur* (verba sunt B. D. Hutteri L.L.C.C. Art. XI. p. 363.) *blasphemia magnam cognationem habet cum Peccato in Spiritu S. ita ut plerumq; æternæ mortis exitium secum trahat: non tamen termini sunt convertibiles: sed unâ tantum sui parte reciproci: ita ut omne quidem Peccatum in Spir. S. sit blasphemia: non tamen viceversa, omnis blasphemia sit Peccatum in Spir. S.*

§. 6. Verbo, ut res omnis expedita reddatur, iterum hîc notanda veniunt illa, quæ jam supra annotari voluimus. Vocem nimirum Spiritûs hîc quidem *προσωπικῶς* seu personaliter pro Tertia Deitatis Personâ sumendam esse, ita tñ. ut peccatum hoc *mediate* ad ipsam Ejus *προσωπον*, *immediate* autem ad officium ejus referatur. Notanter enim Magnus ille Gerhardus LL. Theol. Tom. 2. de Pecc. Actuali cap. 24. §. 109. *Hoc, inquit, Peccatum dicitur ratione ministerii Spiritûs, quod est illuminare, & ratione testimonii, quod Spiritus S. fert Spiritui nostro Rom. 8. v. 16. Quo sensu etiam blasphemia Spiritus Matth. 12. v. 30. Blasphemia in Spiritum Marc. 3. v. 31. & contumelia Spiritui gratiæ illata Hebr. 10. v. 30. appellatur &c.*

§. 7. Quando igitur Peccatum in Spir. S. & blasphemia Spiritûs *ἰσοδυναμῶντα* dicuntur, tum talis hîc intelligitur blasphemia, quæ destinato consilio, virulento & hostili, adde & pertinaci animo in Evangelium & Sacramenta quidem *mediate*, *mediate* autem in ipsum Spiritum S. utpote in quem potior injuriæ pars redundat, quocunq; etiam id fiat modo effunditur. Conf. B. D. Brochmand. LL. Theol. Art. XI. de Peccat. Cap. 8. Quæst. 10. & jam supra cit. D. Hutter. l. all. ut & D. Quistorp. in not. Bibl. ad h. l.

§. 8. Dicitur etiam secundo PECCATUM hoc *ἡ ἀπειθεῖς*

C

σις

σις Ebr. 6. ψ. 6. Ubi quidem non nomen hoc ἀνθρώποι sed tamen
verbum illud cui natales suos ceu matri filia nomen hocce de-
bet invenire licet. Sic enim Apostolus Ἀδύνατον τὴν ἀπαξ ὦπι-
θέντας &c. &c. καὶ ὄρα πρὸς πάντας πάλιν ἀνακαινίζεν. Notat
verò ὄρα πίπτειν inter reliqua quæ obtinet significata, Labi, al-
labi, impingere, & notante Pasore in Lexico suo ὄρα πίπτειν plus
est, quàm πλάειν ἢ περισκοπίειν.

§. 9. Tertiò deniq; & ultimo hæc Spiritûs Blasphemia dicitur
ἁμαρτία πρὸς θάνατον. PECCATUM ad MORTEM, i. Joh. V.
ψ. 16. Non equidem desunt, qui per voces hæc, Peccatum in
Spir. S. designari constanter negant. Suarez. per locum hunc Jo-
hannaû intelligit Peccatum quoddam atrox, in quo quis sine se-
riâ resipiscentiâ vitam finit vid. ipse Tom. 4. Disp. 8. Sect. 1. Artic.
1. p. 87. C. D. Sed hæc expositio textui planè non est consentanea:
loquitur enim Johannes non de mortuis, quippe quibus nullæ
amplius preces profunt; sed de viventibus, de quibus non nemo,
ignorans eos Peccatores in Spir. S. esse, spem resipiscentiæ bo-
nam concipere, proq; illis apud Deum prece supplici interce-
dere poterat, id quod ipsa Textûs αὐτοψία luculenter satis de-
monstrat.

§. 10. Socinus in Comment ad D. Joh. Epist. Peccatum ad
Mortem, illam peccandi aduetudinem vocat, de quâ nulla spes
haberi possit, quod sit desitura. Sed quænam illa Socini adue-
tudo, ubi omnis spes emendationis vitæ & sanioris mentis de-
collavit? Nulla utiq; tam desperata Peccatorum continuatio,
quæ non, si non multam, certè aliquam adhuc spem nobis relin-
quat? Ecquis nostrum novit, annon Latro vel in ipso mortis arti-
culo Peccato resignare, ad Christi vulnera confugere & delictor-
um veniam impetrare queat? Annon concatenatâ peccatorum
cumulatione, detestabilem illam Peccatorum aduetudinem da-
re licebat in Publicanorum illo Antesignano Zachæo Luc. 19. ψ. 2.
7. 8. ? Sed en aduetudinem illam pravam, optimo exemplo &
hoc meliori exitu cum sanioris vitæ aduetudine commutat fa-
mosus ille Peccator. Nullum igitur Peccatum, quantumvis lon-
gæ aduetudinis, tam atrox dari potest, quod non spem quan-
dam resipiscentiæ in pessimis etiam mortalium relinquat. So-
lum

lum Peccatum in Spir. S. cum media Salutis omnia blasphemè & constanter rejiciat, solum, inquam, illud est, ubi nullus spei, nullus saniori menti locus manet residuus, uti patet ex locis Scripturæ de hoc peccato agentibus. Hinc rectissimè hæc Socini interpretatio mera impostura dicitur D. Brochmanno LL. Theol. Art. XI. qui est de Peccato Cap. 8. Quæst. 13. p. 200.

§. II. Alia adhuc Erasmi Roterodami de h. l. Johannæo est sententia, qui & ipse non Peccatum in Spir. S. sed enorme quoddam delictum, quo integra offenditur Ecclesia, quodq; ex praxi Antiquæ Ecclesiæ excommunicatione puniri sueverat hinc intelligendum monet. Verba ejus in Comment. ad h. l. sic habent: Venialia, inquit, peccata, sine quibus non vivitur, cottidianâ preceatione delentur *remitte nobis debita nostra*: Cæterum atrociora flagitia non sanantur eodem modo, sed olim ejiciebantur è contubernio Ecclesiæ tradebanturq; Satanæ, nec recipiebantur nisi jejuniis, lachrymis multisq; remediis dutis deletâ culpâ. Et hæc imprimis Erasmi sententia est, quæ inter alia argumenta Theologum insignem B. D. Feurbornium in Dissert. suâ de Peccato in Spir. S. Cap. 3. movet, ut dubius hæreat, utrum etiam hic locus de Peccato in Spir. S. loquatur, nec ne? Quare etiam Peccatum hoc ex certissimis Scripturæ dictis examinaturus, locum hunc Johannæum de industriâ omittit, & tandem dubium suum, sed summè moderatum judicium sub fin. cit. Capitis subnectit: *Sive igitur, inquit, quis velit, aut omnino nolit dictum 1. Job. 5. v. 16. exponere de blasphemâ Spiritus: sive malit id interpretari de alio flagitio atrocissimo & manifestissimo, propter quod Peccator à communione precum & Sacramentorum sit tantisper excludendus, donec pœnitentiam agat, & ab Ecclesiâ reconciliatâ recipiatur; me non habebit sibi atrociter rebellantem; sed tantùm, Christianâ modestiâ interveniente, veritatem divinam plenius indagentem. Interim valde consuletur nostris conscientis, si ad amissim dictorum Sacrorum, quæ literaliter de Peccato adversus Spiritum loquuntur tota ejus tractatio descripta exigatur & expendatur &c.*

§. 2. Duo autem potissimum sunt, quæ magni nominis Viros, vel ut dubiè asserant, vel ut planè negent in loco Johannitico de Peccato in Sp. S. agi, impellunt. Adducit geminum hoc Partis

Adversæ fundamentum Dn. D. Feurborn. l. cit. p. 22. 23. I. Deductum est ab adjuncto visu & perceptione hujus Peccati; unde nascitur modo laudato Theologo argumentum: De eo peccato ad mortem Johannes loquitur, quod semper potest sciri & videri à nobis. Nam inquit. *ψ. 16.* Si quis *ιδῆ* viderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, Et paulo post: Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget. Unde liquet τὸ videri & scire à nobis, non tantum competere ei peccato, quod *ἀμαρτίας μὴ πρὸς θάνατον*, sed etiam ei convenire crimini, quod vocat *ἀμαρτίας πρὸς θάνατον*. Subsumit jam: Atqui Blasphemia in Spir. S. non semper potest à nobis deprehendi & cognosci in proximo nostro; quia blasphemia Spiritus non tantum ore profertur; nec tantum calamo scribitur; verum etiam cogitando perficitur: quæ malitiosa cordis blasphemia, cogitando concepta, Soli Deo patet, hominem verò latet. Solus enim Deus est *καρδιογνώστης* 1. Reg. 8. *ψ. 39.* E. Johannes non loquitur de Pecc. in Spir. S.

§. 13. Alterum fundamentum petitum est ab adjuncto hujus Peccati judicio, unde sic colligit: S. Johannes de eo Peccato loquitur, de quo semper à priori etiam, & in presenti ferri certum potest judicium. Atqui, subsumit jam Vir Laudatus: de Blasphemia contra Spir. S. non semper à priori & in presenti certum potest ferri judicium; siquidem proxima causa efficiens hujus peccati (quæ & τὸ ἐκθρόνισμα hominis) non semper nobis est aperta &c. Ergò.

§. 14. Sed, quicquid sit, nos, salvis Tantorum Virorum auctoritatibus plurimorum interpretum consensu, per Peccatum hoc, quod Johanni ad mortem dicitur, ipsum Peccatum in Spir. S. intelligimus, quod Apostolo sic dicitur à consequente pœnâ certissimâ, nimirum morte & damnatione æternâ; nam uti rectissimè B. D. Meisnerus in Anthrop. S. Decad. 1. Disp. X. de Pecc. in Spir. S. Quæst. 2. p. m. 316. Quamvis, inquit, omnia peccata *φύσσει* suâ sint mortalia & lethifera, hoc tamen specialiter ad mortem esse dicitur, quia non tantum reatus mortis in eo, ut in aliis peccatis omnibus reperitur, verum etiam actus ipse, ipsa damnatio æterna infallibiliter sequitur. Quare non tam ratione reatus, quam respectu infallibilis damnationis Peccatum ad mortem nuncupatur. hæc Ille.

§. 15. Lo-

§. 15. Loqui autem hic Evangelistam & Apostolum Domini, de nullo alio, nisi in Spir. S. peccato patescit. Ex oppositione Peccati non semper actu ipso mortem inferentis, & Peccati semper ad mortem recto tramite, pede irrevocabili & ipso eventu tendentis §. 16. Pro illo quidem, non item pro hoc orandum monet. Jam sub priori oppositionis membro non tantum *Venialia* Renatorum Peccata, sed etiam illa, quæ *Mortalia* vulgò audiunt, & ex *αἰσθησέσθ* fiunt venire, vel ex eo certum est, quod non tantum pro venialibus proximi, sed ipsis etiam mortalibus peccatis, preces ad Deum fundere cogimur exemplo Christi Luc. 23. v. 34. qui pro Crucifixoribus suis oravit, qui partim ex simplici, partim etiam ex affectatâ & malitiosâ ignorantia pro subjectorum diversitate in crucem illum egerant. Stephani pro hostibus suis infensissimis Act. 7. v. 60. & Moysis pro populo idololatrâ intercedentis Exod. 32. v. 30. Certum igitur est, per alterum oppositorum, quod solum irremissibile hominibus Matt. 12. v. 32. Marc. 3. v. 39. Eb. 10. v. 26. 27. dicitur, intelligi posse. Hinc tale nobis enascitur argumentum: *Quodcumq;* peccatum solum, neq; præter id aliud, ad mortem recto tramite, pede irrevocabili & ipso eventu tendit, illud divo Johanni sub notione Peccati ad mortem hæc intelligitur. Atqui Peccatum in Spir. S. solum ad mortem recto tramite, pede irrevocabili & ipso eventu tendit E. Majoris Connexio satis jam in præcedaneis probata. Minor patescit ex locis Scripturæ modo adductis, quæ & simplicem remissionis *ἀδυναμία*, & renovationis omnis negationem Peccato huic tribuunt, nec quidquam aliud, nisi horrendum Justissimi dictatoris iudicium Peccatorem ejusmodi expectare dicunt. Videantur locum hunc nobiscum de Peccato in Spir. S. explicantes B. Gerhardus Conf. Cathol. LII. Part. III. A. XXI. Cap. 1. p. 402. Supra cit. D. Meisn. l. alleg. D. Hutterus LL. CC. Art. X. de Peccato. p. 370. D. Hunnius in Comment. 1. Ep. Joh. 5. Tom. 4. p. 1036. D. Brochman. LL. CC. Art. XI. C. VIII. Qu. XIII. p. 100. D. König. in Theol. Thet. Acroam. de Pecc. in Spir. S. pag. 96. §. 165. Alii, quos de industria omittimus, ne non tam numero Auditorum, quam pondere Argumentorum pugnare videamur.

§. 16. In contrarium adductas rationes quod attinet, non

illæ tanti videntur momenti, ut nos à Statione nostra dimovere valeant. Commune enim est utriusq; argumenti fundamentum, quo labascente, geminum hoc quod superstructum est simul corruit.

§. 17. Primo igitur ad Argumenta quæ in adversam partem hic adduci possunt Respondemus Malè τὸ ἰδεῖν etiam ad Peccatum quod Apostolo ad mortem dicitur applicari, cum solummodo Johannes hoc sensûs iudicium in peccatis reliquis obtinere velit; sic enim ipsa ejus fluunt verba. Si quis viderit peccatum non ad mortem &c. Dein subjungit: est enim peccatum aliquod ad mortem: ut ita clarum fiat, ocularem illam peccatorum deprehensionem, non ultra id peccatum, quod Apostolo in contradistinctione Peccati ad mortem ponitur, extendendum esse. Quæ *Ἰνερσις* si ad utriusq; argumenti Præmissarum primam applicetur, facile nervus totius collectionis incisus deprehendetur.

§. 18. Secundo, Si concederem (quod tamen concessum minime volo) τὸ ἰδεῖν & oculorum iudicium etiam ad Peccatum ad mortem ex sensu Apostolico referri posse, nondum tamen Antithesin suam obtineret pars adversa. Cum distinguendum hic esset inter tempora Apostolorum & nostra. Discernenda enim omnino sunt Subjecta, quibus olim de Peccatore in Spir. S. iudicium formare licuit, & inter illa quibus idem facere haud integrum est. Ad priorem Classem pertinent illi, qui peculiari *ἡγεσιῶς πνευματίων* dono instructi sunt, quales benè multi olim fuerunt in A. Ecclesiâ Conf. 1. Cor. 12. v. 10. Ad posteriorem verò omnes illi, qui dono hoc speciali destituuntur, quales sunt omnes hoc ævo viventes; dona enim illa specialia jam circa Chrysostomi tempora defuisse creduntur. Conf. Walth. in Harm. Bibl. ad Loc. Joh. V. v. 16. p. 1353.

§. 19. Jam applico distinctionem hanc ad Prioris Argumenti majorem, quæ ut verba jacent intellecta, non ex omni parte sibi constat, cum non liceat ex textu inferre: De eo Peccato ad mortem Johannes loquitur, quod semper potest sciri & videri à NOBIS; loquitur enim Johannes & conditionatè, & de certis tantum individuis, dicens: *Ἐάν τις ἴδῃ*. Quod si igitur Textus ac-
cura-

curatè expendatur, hunc in modum ex illo fluet Major: De eo Peccato ad Mortem Johannes loquitur, quod poterat sciri ab Auditoribus suis peculiari *Μακροῦσως πνευμάτων* dono instructis. Jam sic ex textu formatâ majore, argumentum hoc nullo modo nos ferire poterit. Quod si jam & secundo argumento eadem hæc distinctio suo loco applicetur, res omnis dabitur expedita.

CAP. II.

FALSAS DE PECCATO IN SPIRITUM S. SENTENTIAS EXPONIT.

THES. I.

Peccatum in Spiritum S. non consistit præcisè in eo ut vel ipsa SS. Trinitas, vel una etiam Deitatis Persona expressis verbis blasphemetur aut ejus honori aliquid detrahatur. Nec in Finali impœnitentiâ, si quis in Peccato Mortali non agnito diem suum obeat. Nec secundum mentem Scholasticorum peccando contra appropriatum Spiritûs S. donum. Nec quod volebant olim Novatiani in lapsu illuminatorum post acceptum Baptismum, quas sententias omnes & si quæ sunt aliæ ejusdem farinae tanquam cum Scripturâ vel parum, vel nihil etiam consentientes simpliciter rejectas volumus.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. 1. Plures circumferuntur de Peccato in Spir. S. exq; à Scopō Salvatoris multum aberrantes Sententiæ, quas omnes hîc recensere nimis foret prolixum, nobis potiores adduxisse sufficiat.

§. 2. Illa igitur quam agmen ducere voluimus est Hilarii, Ambrosii, Chrystomi, aliorumq; non sanè infimi subsellii Patrum Sententia, cui refutandæ (ne crambem bis coctam apponere vide-

dea-

deamur)jam non immoraturi sumus, videantur modo, nigrave est illa quæ ad Thefin 3. Cap. 1. attulimus.

§. 3. Altera est ipsius Augustini, qui Peccatum in Spiritum S. in Finali impœnitentia consistere voluit. Sic enim ille Serm. II. De Verbis Domini, Peccatum vel Blasphemiam in Spir. S. dicit, esse *Finalem impœnitentiam: quando scil. aliquis in peccato mortali oris, cordis & operis usq; ad mortem perseverat.* Conf. idem Epist. 50. & libro de Verâ & Falsâ Pœnitentiâ Cap. 4.

§. 4. Verùm enim verò (pace Tanti Viri dixerim) multùm hæc sententia à fundamento rei abit. Nam, ut concedamus, uti concedere omnino debemus, Finale impœnitentiam, nunquam remitti posse; quippe quum ipsa veritas expressè doceat, post abitum ex hæc vitâ, nullum amplius ad pœnitentiam aditum restare, in quo argumento mellitissimi oris Propheta, Doctor ille doctorum divinissimus, Ductorum ἀναμάρτητος totus est Luc. XVI. ψ. potissimum 26. ubi Abrahamum sic ad Divitem Epulonem loquentem introducit: μετὰ ζυήμων καὶ υμῶν χάσμα μέγα ἐστὶν κταί, ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἐκ δεύθεν πρὸς υμᾶς μὴ δύνανται, μεδὲ οἱ ἐκείθεν πρὸς ἡμᾶς διαπερῶσιν. Conf. Matth. 25. ψ. 10. & Ep. Hebr. 9. ψ. 27. ubi verò non amplius resipiscentiæ & meliori menti ibi nec veniæ ullus relinquitur locus, quam in rem elegantissimè B. Gerhardus in Hom. 1. Dom. II. Adv. p. 27. cuius cedro digna verba hic adscribere lubet: *Una illa, inquit hora (iudicii, scilicet) erit iudex æternitatis. Sicut repentinus erit adventus Iudicis, ita quoq; repentina erit sententiæ judicariæ promulgatio. Tempori tunc succedet æterna immutabilitas & immutabilis æternitas. Sicut in hæc vitâ nemo est, qui non possit Deo reconciliari per seriam pœnitentiam, sic in illo die nemo erit, qui possit reconciliari, nisi in hæc vitâ pœnitentiam egerit. Sicut hoc tempore Janua Justitiæ est veluti clausa, sed janua gratiæ aperta, ita tunc janua gratiæ erit clausa, janua verò justitiæ aperta. Sicut hoc tempore immensa est DEI misericordia ad parcendum, ita tunc immensa DEI justitia ad puniendum. Dies ille novissimus erit finis temporis & initium æternitatis, proinde etiam status, in quem dies ille unumquemq; collocabit, erit æternus & immutabilis. Hæc tunc ille.*

§. 5. Licet igitur, inquam, verum sit, finale impœnitentiam
nullo

nullo modo sub remissionem cadere posse, nondum tamen inde evincitur idem hoc Peccatum cum illo esse, quod in Spir. S. committi dicitur; hoc enim expresse à Christo l. cit. *Convicium & blasphemia* & in Ep. ad Hebr. 6. v. 4. 5. 6. ἀποσυσία à veritate divina & cœlesti sufficienter agnitâ vocatur. Jam verò multi non blasphemantes, nec veritatem cœlestem sufficienter agnitam abnegantes in incredulitate finali diem suum obeunt, quos nemo accuratus κατ' ἐξοχήν Peccatores in Spir. S. dicet. Quod si autem ejusmodi homines non possunt dici in Spir. S. (termino pro substratâ materiâ accepto) peccasse. Ergo finalis impœnitentia & Peccatum in Spir. S. non poterunt pro iisdem haberi.

§. 6. Patet illud ex exemplo plurimorum, vel desperabundorum, vel alio etiam fato in ipso Peccato mortali vitam cum morte commutantium. Ex multis Saulem 1. Sam. 31. v. 4. Achitophelem & Judam 2. Sam. 17. v. 23. Matth. 27. v. 5. Act. 1. v. 18. in scenam produco, quos desperabundos in impœnitentiâ finali decessisse nemo sanus negaverit; Peccatores eosdem in Spir. S. fuisse nemo vel ex natura hujus Peccati, vel ex actionibus ab illis susceptis probaverit. Quid præterea dicendum nobis de Simri unâ cum scorto suo, muliere Midianiticâ in ipso ἀυτοφωρεω à Sacerdote Pinehes confosso Num. 25. v. 8. ? Quid de Absolone in ipso peccatorû ἀκμή hastis transverberato 2. Sam. 18. v. 14 ? Quid de Divite Epulone Luc. 16. v. 23 ? Omnes scil. hi impœnitentiam finalem damnationis suæ causam habent; peccatum autem in Spir. S. prout nobis illud à Scripturâ definitur non habent. Hinc rectissimè B. Hunnius Artic. de Pecc. p. 87. hanc Augustini & aliorum idem hîc cum illo facientium sententiam minimè locum invenire concludit. *Stante enim illa, Omnes (verba sunt modo laudati Theologi) in Peccatis mortalibus ad finem perseverantes, tum ipsi etiam gentiles, Peccatores in Spir. S. dicendi essent. Quid, quod ex hac doctrinâ sequeretur, neminem ante obitum suum Peccatorem in Spir. S. esse posse; quandoquidem impœnitentia tum demum finalis dicitur, cum homo in eadem moritur, cum tamen contrarium sit clarissimum ex exemplo Phariseorum quos Christus Peccati hujus apertissimè damnabat.*

§. 7. Clarius adhuc nobis ad stipulatur D. Hutterus LL. CC.

D

Art.

Art. X. de Peccato d. 364. inquit: *Quanquam finalis hæc impænitentia individuum est* *ωεγοκειμενον* seu adjunctum Peccati in Spir. S. ita ut hoc semper sit cum illâ conjunctum: interim tamen reciprocè se non habent. Datur enim finalis impænitentia, in iis etiam qui peccant in Filium Hominis: Qualis fuit in Saule, Absolone & alius, qui in finali impænitentiâ decesserunt, quos tamen peccatum in Spir. S. κατ' ἐξοχήν sic dictum commississe nemo sanus affirmaverit. Latius ergo se extendit finalis impænitentia quàm Peccatum in Spir. S. Quam modò Laudati Theologi sententiam etsi quoad reliqua meam faciam, id unicum tamen me non satis percipere fateor, quomodo Saul & Absolon in numero Peccatorum in Filium Hominis collocentur. Judicium sit penes oculatiores. Ego, qui meo me pede metiri soleo, hic nihil certi definire aufim.

§. 8. Tertia, quam nigro lapillo notandam ducimus *Scholasticorum quorundam* est sententia, qui Peccatum in Spirit. S. illud dixerunt, quod contra appropriatum Spiritûs S. bonum committitur. Tria autem bona Tribus Deitatis Personis, ac cuius seorsim sumptæ certum aliquod & appropriatum tribuunt. Patri nimirum potentiam: Filio sapientiam: Spiritui S. bonitatem. Hinc Peccatum in Patrem committi dicunt, cum ex infirmitate peccatur. In Filium, cum peccatur ex ignorantia. In Spir. S. deniq; cum peccatur ex certâ malitiâ, hoc est ex Electione mali, ut cum malitia per se placet. Huic suo fundamento certas dein superstruunt hypotheses, quibus præmissis Sex Distinctas Peccati in Spir. S. species enumerant. Quæ Scholasticorum Sententia Magistrum Sententiarum & Doctorem illum (uti Pontificiis audire solet) Angelicum Patronos agnoscit. Sed recitasse illam sit refutasse; cum enim nihil illa roboris in ipsâ Scripturâ S. inveniatur, in spongiam illam incumbere necessum est. Fufius autem hanc rem qui cognoscere amat, legat examen hujus Sententiæ à B. Huttero LL. CC. Art. X. de Pecc. p. 364. institutum, quod hujus rei cupidum remittere, quàm illa ipsa de charta in papyrum transcribere malimus.

§. 9. Pejor hoc ipso *Novatianorum* quondam in A. Ecclesiâ error fuit, quibus Peccatum irremissibile (quale solum est Peccatum in Spir. S.) quodvis enorme peccatum post acceptum baptisma

fma

sma confirmatum; quippe malè intellecto loco ad Heb. 6. v. 4. 5. 6. *Ἀδύνατον τῆς ἁπλῆς φωτισθέντας*, imperitè simul & perniciosissimè statuerunt: *μετὰ τὸ λατρεῖν μηκέτι δύνασθαι ἐλεῖσθαι τὸν πεπρωκότα*, hoc est, eum, qui post lavacrum regenerationis lapsus fuerit, non posse amplius misericordiam consequi, prout Sententiam illorum refert Epiphanius. Lib. 2. Cont. Hæres. Tom. I. Hæres. 59. Conf. Ambros. L. 2. de Pœnit. cap. 2. Augustin. Tom. 6. Lib. de Hæresibus ad Quod-vult-Deum hæresi 38. p. 8. qui Hipponensis Episcopus l. cit. illud quoq; addit, Novatianos sese vocasse Catharos h. e. Puros. Hæresin autem illam, in diversis Conciliis Africanis damnatam, teste Cypriano Epist. 53. & 54. passim etiam in Scriptis suis profligavit Augustinus, qui inter alia etiam pestiferam hanc sententiam Tom. 4. Lib. de verâ & falsâ Pœnit. cap. IV. luculentissimo Petri exemplo infringit: Qui, inquit, Petrum lacrymantem suscepit, remissionem non negavit baptizatis. Bellarminus quidem Lib. I. de Pœnit. Cap. 6. & 9. docet Novatianos, non omnem veniæ spem & pœnitentiam ê medio sustulisse, neq; negasse lapsum post baptismum gratiam apud Deum consequi posse; sed hanc fuisse illorum doctrinam: Neminem post baptismum si in peccata prolapsus fuerit, ab Ecclesiâ solvi & reconciliari posse. Quod si sic haberet, tolerabilius, fatemur, dogma illud esset. Sed parum Bellarminus Fidei invenit apud Cordatiores; hinc castigatur à B. Feurbornio Dissert. de Peccat. in Spir. S. Cap. 2. p. 7. qui hunc Pontificiorum Hyperaspisten crassum oppositorum elenchum commisisse dicit. *Utrumq; enim (verba ejus habent) simul Novatiani fecerunt; nec idem eodem modo semper isti asseruerunt, fatente Bellarmino, & referente, quod Ambrosii tempore Novatiani nonnihil remiserint de rigore suorum majorum.* Hæc ille

§. 10. Fenestram huic Novatiani (quem pleriq; cum Novato promiscuè habent, notante Petavio in Rationar. Tempor. L. V. Cap. 13. p. 234.) & Aseclarum errori aperuisse videtur ipse Origenes qui Tom. II. Operum p. 398. *De his, inquit, qui post acceptum Spiritum S peccaverint, dicitur. Non habet remissionem neq; in hoc seculo, neq; in futuro: Blasphemat n. operibus & sermonibus peccati in prasens Spir. S. qui peccat Spir. Sancto prasente in ejus animâ. Sic enim*

dicit aliquis, dictum illud fuisse, quod in Epist. ad Ebraeos scriptum est
Difficile factu est, ut qui semel illuminati fuerint &c.

§. 11. Sed, si hæc Novatianorum, imo & ipsa Origenis doctrina obtinere deberet, quid, quæso, fieret Davidi, adultero simul & homicidæ, qui, etsi non baptismum, circumcisionem tamen, tum temporis baptismi vices suppletentem acceperat, & sic verè Renatus erat, verè Spiritum S. testificantem in Corde suo habebat, id quod nemo facile in dubium vocaverit. Ergone jam David circumciscus & regenitus, dum contra præceptum divinum Bathsebæ cohabitabat, & Uriam maritum ejus morti subdole tradebat Peccatum in Spir. S. commisit? Ergone illi, omnis pœnitentiæ & reconciliationis spes præcisa fuit? Sic equidem statuentem novi, Magnum aliàs Nostræ Ecclesiæ Doctorem, cujus nomen impræsentiarum silentii peplo de industriâ involvo, qui hæc concatenata Davidis peccata, Peccatis in Spir. S. adnumerat; sed secundum Hunc, Peccatum in Spir. S. non involvit simplicem remissionis *adventum*, quam tamen omnibus modis urgent ipsissima Salvatoris Verba Matth. 12. Marc. 3. Luc. 12. & cum his Apostolus Ebr. 6. & 10.

§. 12. Quicquid igitur sit, ipse rei eventus, qui mille instar testium est, satis evidenter docuit, Davidem gratiam & peccatorum remissionem consequutum fuisse, quod cum luce meridianâ clarius sit, fusius demonstrare vix operæ precium censeo. Taceo Aaronem, taceo Petrum, taceo Alios, qui post acceptum Spir. S. in enormia satis peccata prolapsi & tamen veniam consequuti sunt. Ne tamen differentiam fortè Sacramentorum, circumcisionis scil. & baptismi urgeant, exemplum incestuosi illius Corinthii, quem baptisatum fuisse extra omnem dubitationis aleam constitutum est, in medium profero; hunc etsi Apostolus Sathanae ad tempus tradiderit 1. Cor. 5. v. 4. 5. non tamen omnem ei præviâ seriâ pœnitentiâ, ad veniam & remissionem peccatorum aditum voluit præclusum. Vid. l. cit. v. 5. & 2. Cor. 2. v. 7. 8.

§. 13. Sed, quid diutius in impugnandâ hæc sententiâ occupamur, cum unicum illud D. Johannis dictum ad repulsandam hanc Helepolin sufficiat. Sic autem ille in 1. Epist. Cap. 2. v. 1. & 2. Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit

rit

rit Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum ; & ipse est propitiatio pro Peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Sanè his verbis Johannes non Ethnicos, non à baptismatis lavacro & gratiosâ Spiritus S. in habitatione alienos, sed ipsos Renatos, Discipulos scil. suos & in univèrsum Christianos omnes alloquitur ; quos monitos summopere vult, ut peccata omnia, maxime autem mortalia & conscientiam turbantia, cane pejus & angue evitent : quod, si autem peccare illos contingat, non utiq; illis vitam æternam abjudicat, sed potius patentes veniæ fores in percussâ illâ petra, & in hiantibus Christi vulneribus luculenter & exerto quasi digito monstrat.

§. 14. Locum verò hunc Epist. ad Hebræos, non est, quod obvertentur Novatiani, quippe in quo non de peccato aliquo, utut gravissimo in genere morum commisso, sed de ipsissimo in Spiritum S. peccato, cujus objectum Evangelium est, loquitur Apostolus, quod & ex ipsâ textus *ἀνομία* patescit, & in sequentibus prolixius demonstratum dabitur. Atq; hæ sunt ex erroneis de Peccato in Spir. S. sententiis potiores : non enim nos fugit, longè adhuc plures dari, sed illas, tum quia passim apud Auctores obviæ sunt, tum quia vix refutationem mereantur, suo jam loco relinquimus, id quod caput rei est, nimirum Examen accuratius Peccati in Spir. S. capite hoc sequente instituturi.

CAP. III.

IPSUM HOC PECCATUM EX LIMPIDISSIMIS ISRAELIS FONTI- BUS SECUNDUM GENUS ET REQUISITA SUA EXAMINAT.

THES. I.

Genus Peccati in Spir. S. latius quidem *ἀνομία* strictius autem ipsa *ἀνομία* constituitur.

ἐν ἑμῶς.

§. 1. Cynosura & Canon noster infallibilis, ad quem, Bonum cum Deo, Peccatum hoc ratione formalitatis suæ examinaturi

D 3

sumus

sumus Sola Sacra Scriptura erit, quippe sola hæc, est μέτρον ἀδιά-
ψευστον πάντων πραγμάτων καὶ ἀφαιρέσειν μηδαμῶς ὑποδεχόμενον, Men-
sura vel regula infallibilis, nullam omnino additionem aut de-
tractionem admittens, prouti Canonem definivit Varinus. In
specie autem huc trahendæ veniunt sedes hujus doctrinæ Clasi-
cæ, in quibus Spiritus S. propriis suis coloribus rem illam de-
pingere nobis voluit, uti sunt Cap. 12. Matth. 5. 31. 32. Marc. 3. 5. 28.
29. Luc. 12. 5. 10. Ep. ad Ebræos 6. 5. 4. 5. 6. Cap. 10. 5. 26, quæ loca o-
mnia ex professo & Confessione omnium de hoc peccato agunt,
ut hoc fufius demonstratum est à B. Feurbornio Tract. de Pecc.
in Spir. S. cap. 1. & seq. His adjungimus dictum 1. Joh. 5. 5. 16. de
quo quidem dubiè Nonnulli pronunciant; non aliter tamen
quàm de Peccato in Spir. S. hunc locum capiendum esse fufius
demonstravimus Cap. 1.

§. 2. Postquam igitur in Capite Superiori κατ' ἄρσιν, de fal-
sis quibusdam Sententiis, quæ de hoc Peccato foveri solent, egi-
mus, restat nunc, ut genuinam etiam Doctrinam prævio, ipso
Spiritu S., qui in omnem nos veritatem benignissimè ducere ve-
lit, exponamus.

§. 3. Ordinem autem meritò ab ipso genere, quod hîc geminum
constituimus, latius unum, alterum strictius; illud ἀνομίας, hoc
ἀπιστίας dicimus.

§. 4. Dicimus autem ἀνομίας Genus hujus Peccati, quia D. Jo-
hannes 1. Ep. 3. 5. 4. Omne Peccatum per ἀνομίας definit, hæc
autem ἀνομίας est Peccatum, ergo etiam vi sequelæ erit ἀνο-
μία. Latius autem dicimus, quia non universam hujus Peccati,
quoad speciem actus, naturam comprehendit. Scilicet conce-
dimus Peccatum in Spir. S. quatenus Peccatum commodè per
ἀνομίας definiri posse; & si specialiter vox ἀνομίας sumitur, ἀπι-
στία quoque bono jure eò referri potest. Prima enim Legis Ta-
bula primumq; eius præceptum, eo ipso dum fidem & obedi-
entiam erga Deum requirit, vi oppositorum omnem ἀπιστίαν, etiam
illam quâ quis Evangelio, ipsi scil. Dei verbo fidem denegat, ca-
stigmat & condemnat. Prohibito enim genere, prohibentur o-
mnès ejus species. Negamus tamen Peccatum hoc quoad spe-
ciem actus, & quatenus cum κατ' ἄρσιν Peccatum in Spir. S. dici-
tur,

tur, sub *αἰουσία*, tanquam genere proximo contineri. *Sciendum* enim (verba sunt B. Meißneri in *Anthrop. S. Dec. I. Disp. X. pag. m. 322.*) quod haec blasphemiam dupliciter aestimetur 1. Quatenus Peccatum est, & sic *αἰουσία* dicitur, & contra Legem, ut norma est, fertur. 2. Quatenus Peccatum in Spir. S. est, & sic pro formali habet *ἀπιστία* vel abnegationem voluntariam veritatis agnitæ.

§. 5. *Strictius* igitur & proximum ejus genus, id quod in omni bonâ definitione observandum merito venit, *ἀπιστία* dicimus. Ubi tamen illud monemus, quod *ἀπιστία* hæc sub duplici consideranda veniat schemate. Vel enim dicit negationem assensus, quâ quis Veritati Cœlesti, vel ob rem non satis intellectam, vel ob alias extrinsecas rationes calculum & assensum suum apponere eamq; sequi recusat; talem deprehendere licet in irrogenitis omnibus: vel notat veritatis sufficienter agnitæ voluntariam & malitiosam rejectionem aut etiam assensus semel plenariè & salutariter adhibiti perfidam retractationem & uno verbo à veritate semel agnitâ *ἀπιστία*. Quocunq; ex dictis modò *ἀπιστία* illa accipiatur damnosa illa & exitialis est; posterioribus tamen duobus tantum modis Peccatum in Spiritum S. sub se comprehendit.

§. 6. Ne tamen Genus hocce, quod strictius nobis dicitur, constituere potius quàm probare videamur, sequentia huic rei confirmandæ adducimus argumenta.

§. 7. Primum desumimus ab *Objecto* hujus Peccati, quod solum est Evangelium, uti ex inductione omnium locorum, quotquot de Peccato hoc agunt, luculenter satis evincitur, & ceu inferius sufficienter demonstrandum hîc pro concessio habetur. Hinc argumentum:

Quodcunq; Peccatum pro objecto adæquato ipsum agnoscit Evangelium, ejus genus proximum non *αἰουσία*, quæ est illegalitas & respectum ad Decalogum involvit; sed *ἀπιστία* constituenda est. Atqui de Peccato in Spir. S. verum est prius. E. & posterius. Connexionem Majoris probo; quia, sicut se habet *αἰουσία* ad Legem, sic se habet *ἀπιστία* ad ipsum Evangelium. Nucleus enim totius Evangelii & primarium fidei objectum est Christus cum merito

rito

ritō suo, quem, si quis fide apprehendat, salvatur, si verò incredulitate suā rejiciat, damnatur Joh. 3. v. 18. *Qui credit in eum* (scil. Filium Dei) *non judicatur. Qui autem non credit jam judicatus est: quia non credit in nomen unigeniti Filii DEI.* Conf. Galath. 3. v. 22. Rom. 3. v. 24. 25.

Minor patet ex Epist. ad Hebr. 6. v. 4. 5. 6. Cap. 10. v. 26. 29. Ubi objectum hoc *bonum DEI verbum* dicitur, imò ubi Peccatores in Spiritum S. sanguinem Christi profanum facere & pedibus conculcare dicuntur, id quod deinceps fusius examinabitur. Jam verò sanguis Christi & bonum Dei verbum utiq; non ad Classē Legis sed Evangelii pertinent: lex enim tantummodo iram annunciat Rom. 4. v. 15. & horribile illud auditu Deut. 27. v. 26. *Maledictus, Maledictus* subinde intonat. Evangelium verò est verbum pacis Eph. 2. v. 17. est verbum, uti ipsum etymon ejus sonat, Latī nuncii, & verbo, est verbum reconciliationis nostræ cum Deo 2. Cor. 5. v. 20. Hinc Apostolus Ebr. X. v. 28. 29. expressè prolapsus hunc, Peccatis contra legem Mosaicam commissis contradistinguit, dicitq; longè gravioris judicii reum teneri Peccatorem in Spir. S. quàm illum, qui in Decalogum injurius est, ex quo oppidò patescit, non mores, sed Evangelium adæquatum Peccati in Spiritum S. objectum constituere.

§. 8. Alterum argumentum depromimus ab adjuncto ejus inseparabili, quod est irremissibilitas absoluta. Notanter autem *irremissibilitatem* eamq; absolutam dicimus, quam opponimus irremissioni & remissioni difficili; ita ut Peccato in Spir. S. non tantum remissionis actum, uti quidam volunt, *sed ipsam etiam potentiam* (ex parte nimirum hominum quos renovari impossibile est, spectatam) demamus, id quod deinceps prolixius probatum dabimus. Hinc argumentamur:

Cuicunq; Peccato omnis remissionis, tam ratione actūs quàm potentiæ, negatio competit, ejus genus proximum non *ἀνομία* sed *ἀμῖα* ponendum est. Atqui de hoc nostro peccato verum est prius. E. & posterius.

Propositionis Connexio clara est, inde, quia, *ἀνομία*, termino prout jacet, accepto, notat vel *ἡ διαβασίς* Legis in genere, ut in
pec-

Peccato Primo, quod nomine quidem unum, re verò multiplex est, uti eleganter demonstrat Leo Epist. 86. ad Nic. Aquil. cujus hæc sunt verba: *Peccatum*, inquit, *Primi hominis superbia fuit, quia in suâ homo potius esse, quam in Dei potestate dilexit; & Sacrilegium, quia in Deum non credidit; & homicidium, quia se præcipitavit in mortem, & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humana serpentinâ suasionem corrupta est; & furtum, quia prohibitus usurpatus est cibus; & avaritia, quia plus quam sufficere illi debuit appetivit &c.* Vel labem Originalem, infelicem illam infelicis Parentis transgressionis sc. primæ filiam; ubi homo ceu inversus decalogus consideratur, & quoad omnes animi facultates adeo corruptus conspicitur, ut jam post lapsum, sibi relictus, non possit non peccare & legem Dei transgredi. Vel deniq; tertio notat peccata actualia omnia, sive omissionis illa sive commissionis nomine veniant. Quocunq; autem jam modo *avoula* hæc consideretur, remissionis tum potentiam, tum actum nullo modo excludit. Licet enim non eamus inficias Peccatum primum Adamiticum (quod vel 1. in *præcisione* spectatur, & notat transgressionem circa arborem vetitam, atq; sic formaliter ipsius individui Adami peccatum est, neq; nostrum fit nisi solâ imputatione; vel 2. in *Connotatione* illius quod ex transgressionem illâ fluxit, consideratur, quatenus scilicet & absentiam imaginis Divinæ concreatæ, & intimam omnium facultatum animi corruptionem secum trahit, atq; sic nostrum etiam fit, non ob imputationem solam, sed ob carnalem generationem; quod n. ex carne nascitur caro est Joh. 3 v. 6. Conf. Gen. V. v. 3. 1. Cor. 15. v. 48.) licet, inquam non eamus inficias Peccatum primum Adamiticum omnium fuisse gravissimum, quicquid etiam Bellarminus L. 3. C. 10. in contrarium statuatur, aut quicquid etiam Bonavent. L. 2. Dist. 21. art. ult. Quæst. ult. inter extensivam & intensivam gravitatem distinguat, ita ut illam quidem, non verò hanc huic peccato tribuat. Imò licet non vereamur asserere cum B. Meisnero Anthrop. S. D. I. Disp. IV. de Lapsum Primi Hominis Quæst. 4. p. III. Peccatum hoc primum in se & suâ naturâ spectatum ipso peccato in Spir. S. gravius esse; cui nostræ sententiæ si quis obitare putet illud, quod peccatum primum remissibile, hoc autem irremissibile sit, audiat hanc rem

E

deci-

decidentem Theologum modo laudatum l. alleg. cujus hæc sunt verba: *Gravitas Peccati consideranda est ratione sui esse, non ratione alicujus extrinseci, i. e. respectu ejus quod est; non respectu ejus quod circa illud est, aut fit. Remitti autem vel non remitti non est de peccato, sed circa peccatum; ideoq; exinde tantum de Peccati quidditate aut gravitate judicari nequit.*

§. 9. Licet jam hæc omnia Peccato Primo Adamitico conveniant; licet etiam Peccatum Originale originatum, ut à Scholasticis ad discrimen peccati Primi (alias illis Originale Originans dicti) audire solet; tum etiam lapsus quotidiani sive sub mortalium, sive venialium peccatorum nomine veniant, ex se & suâ naturâ, nullam remissionem, sed mortem potius temporalem ac æternam partim mereantur, partim etiam actu inferant, tantum tamen abest ut unicum ex enumeratis, omnem remissionis actum, nedum potentiam excludat, ut potius apertissime Deus Ezech. 33. asserat, se nolle mortem Peccatoris; sed velle potius ut pœnitentiam agat & vivat. Imò clarius adhuc apud eundem Prophetam eodem L. Deus Peccatori ad sanio rem mentem redeunti impunitatem & vitam à primo statim Conversionis momento seriò promittat v. 14. 15. 16. Idem Esaias Cap. 1. v. 18. Idem Salvator Noster Matth. II. v. 28. Idem D. Johannes 1. Epist. 2. v. 1. & 2. Idem Prophetarum & Apostolorum voces, idem omnes ferè Scripturæ paginæ docent; ita ut plura hoc confirmantia Protoplastorum, Davidis, Aaronis aliorumq; , ut insignium Sanctorum, ita & insignium suo tempore Peccatorum, qui omnes uberrimam Peccatorum remissionem consequuti sunt, exempla in medium producere vix operæ precium censeamus.

§. 10. Solum igitur Peccatum in Spiritum S. dum ponitur, ipsam simul irremissibilitatem tanquam inseparabile *ωροκείμωv* poni necessum est. Quod si jam disparem hanc horum Peccatorum rationem, in respectu ad veniam & remissionem, accuratius paulo, & ad Cleantis (ut proverbio loqui amant) lucernam examinemus, tum sanè apparebit, caput rei in *diversitate objectorū* eò quod reliqua Peccata *Legem*; Blasphemia verò hæc ipsum *Evangelium scienter volenterq; impugnatum* (quo ipso Peccatum in *Fil. Hominis excipimus*) pro objecto habeant quærendum esse: quis
quis

quis n. in legem injurius fit, & tenore hujus inferis adjudicatur; idē ille, si contrito corde & anxio spiritu *ἰλαθῆναι* illud certissimū, Luc. 18. v. 13. Salvatorem nostrum unicū accedat, fide verā & salvificā eundem apprehendat, non solum à pœnā & reatu omni absolvitur; sed novo etiam commutationis genere pro iniquitate justitiam, pro pœna præmium gratuitum, pro cruciatibus, gaudia perpetua, ex largā & beneficā illa JESU sui manu reposita accipit. Ita quem lex damnat hunc Evangelium absolvit. Col. 2. v. 14. Quem lex vulnerat, hunc Evangelium sanat. Quem lex detestatur, hunc Evangelium suscipit, fovet, amat.

§. II. Quod si verò quis præsentissimam hanc animæ laborantis medicinam, cujus vim & virtutem internam non semel jam expertus est, refractario ductuq; & nutui Spiritūs S. resistenti animo rejiciat; Verum salutis fontem Joh. 4. v. 10. 14. fugiat, ejuret exsecretur, aliosq; sibi, nescio quos, arentes fingat pingatque rivulos Jer. 2. v. 13. neq; hoc contentus, manna hoc cœleste, quod ipse nauseabundo suo stomacho rejicit, aliis etiam, quantum in se est virium eripere omnibus modis tentet, januam vitæ quam ipse sibi præcludit, aliis etiam obstruere conetur, & ut quod res est, dicam, ipse totus æger, languidus & febricitans Es. 1. v. 5. 6. unicū hoc restitutionis spiritualis medium, Verbum & Sacramenta, per quæ Spiritus S. Salutem & conversionem ejus promovere promptus est, contra internum Spiritus testimonium & *αὐτοκατακρίσιαι* manibus pedibusque ad extremum usq; vitæ halitum rejicere, illud blasphemè habere & omnibus modis suppressere tentet; Is sanè, quo se deinceps vertat, aut unde salutem impunitatemq; peccatorum expectet, non habet. Nec est quod aliquando in infernali illo lacu Dei Patris misericordiam incuset: hæc enim abunde illi, per ordinariam & legitimam salutis viam (mediatè enim non immediatè in hominis conversione procedere amat Deus) patuit. Non, quod meritum Christi insufficientiæ arguat; non enim debuit, non potuit, ut in se sufficientissimum, Refractario huic sine salutiferâ applicatione sufficiens esse; Nemo pharmacum quoddam, cujus vires experiri noluit, morbo pellendo impar dicit; aut si dicit, haud mediocriter insanit. Nemo igitur panem vitæ Joh. 6. v. 33. 35. quem vel gustare, vel ad

Extremum vitæ manducare nauseabundus ejus stomachus re-
nuit, ad pellendam famem æternam ac spiritualement ineptum di-
cat. Perditio tua ex te Israel Os. 13. v. 9. Non deniq; est, quod
quidquam in officio Spiritus Sancti desideret, illud enim ex ple-
nâ voluntate & consummatâ malitia, ejuravit, blasphemavit,
persequutus est. Ebr. 6. v. 10.

§. 12. Ut ut igitur (revertatur jam eò unde divertit disputa-
tio nostra) Peccatum aliàs omne (blasphemiam hanc excipio)
non quidem remissionem includat, sed mortem potius, etiam
cum minimum videtur, promereatur (*quicquid etiam de Peccatis
Venialibus in contrarium ganniant Bellarminus, Becanus aliig, hujus
farina homines*) tamen neq; remissionem omnem excludit. Nam,
ut non negamus Peccato mortali, si finale illud sit, irremissionem
competere; ita non concedimus, nec præviâ Scriptura debe-
mus, remisibilitatem, id est, remissionis potentiam ullo modo
eidem denegari. Peccatum verò in Spiritum S. tale est, ut re-
misibilitatem non tantum non includat, quod cum reliquis
peccatis commune habet; sed & præterea omnem remissionis
tum actum, tum potentiam excludat, quâ in re â reliquis differt.
Causam hujus rei jam supra in diversitate objectorum latitare
indicavimus, cui etiam â latere accidens illud inseparabile, fina-
lem nimirum impœnitentiam adjunctum volumus. Non igitur
est, ut quis simplicem hanc remissionis *ad veniam* in gravita-
te hujus Peccati quærat: hæc enim sola si sufficeret, nunquam
Adamus, qui gravius adhuc Peccatum commisit veniam conse-
quutus fuisset. Multo minus quis, vel defectû gratiæ Divinæ, quam
omne peccatum superabundare dicit Paulus Rom. V. vel insuffi-
cientiam meriti Christi, quod suâ naturâ Universale est Joh. 3.
hic prætendat: Rimetur tantummodo accuratius hujus Pecca-
ti naturam, quæ est omnia Salutis media â Spiritu S. oblata *in
sacris* respuere, Evangelium & illi addictos dente plusquam Theo-
nino arrodere, sacratissimum Christi sanguinem, in quo unico
medio, media nobis & Regia ad salutem via quærenda est, pro-
fanum habere, pedibus ad extremum usq; vitæ halitum concul-
care Heb. X. v. 29. & facillimo negotio causam illius irremisibili-
tatis invenire illi integrum erit. Confer. B. D. Meisn. Anthrop. S.
De-

Dec. I. disp. X. de Pecc. in Sp. S. p. 333. seq. D. D. Feurborn. de Pecc. in Sp. S. Cap. 28. Nexum igitur Majoris nostræ ut demonstremus, dicimus jam, Principium & fundamentum rei, unde nimirum irremissibilitas illa profuit, non in Lege, uti satis demonstratum est (cum nulla dari possit ratio quare actus illegalis, cum ratione potentia, tum respectu actus irremissibilis dici queat) sed in solo Evangelio quaerendum esse. Constat igitur sibi per omnia Major nostræ sic inferens:

Cuicunq; Peccato omnis remissionis, tam ratione actus quàm potentia, negatio competit, ejus Genus proximum non *ἀνομιὰ* sed *ἀμάρτια* ponendum est.

Sed audio etiam non neminem qui Minoris probationem à nobis exigat. Illam verò quod concernit, partim in dictis sufficienter probatam eam dedimus; partim ejus veritatem infra uberius vindicaturi sumus. Et hæc de Genere. Sequuntur jam non incommodo ordine Requisita.

THES. II.

Requisita Peccati in Spir. S. commodè in duas Classes dispesci queunt; ita ut prior examinet Requisita Peccati hujus Concretivè, posterior requisita ejus abstractivè sic sumpta. Seu ut prior contineat requisita illa quæ Subjectum committens; Altera quæ peccatum commissum in se respiciunt.

Εκθεσις.

§. I. Etsi Peccatum in Spir. S. abstractivè existens non detur, quippe quod ceu Accidens, semper alii, ceu Subjecto inharere necessarium habet; nihil tamen impedit, quo minus accuratioris methodi ergo, per quandam mentis abstractionem (prout etiam attributa Dei, quæ tamen realiter nihil aliud sunt quàm ipse Deus, ob meliorem mentis nostræ informationem, seorsim ab ipso Deo considerari solent) primo attributa illa, quæ maximè Subjectum committens, seu, ut alii *ἐν πλάτει* loquuntur, Causam Efficientem (quæ tamen deficiens magis dici meretur) respiciunt;

unt, deinceps illa, quæ ipsum Peccatum in se constituere videntur, seorsim consideremus.

THESIS III.

Requisita ex parte Subjecti Committentis sunt (a) ut illud sit homo adultus (b) sufficienti doctrinæ Evangelicæ cognitione imbutus.

Ἐκθεσις.

§. I. Ratio, cur non nisi in Adultos cadat, aut cadere etiam possit Peccatum hoc, vel inde plana est, quia quamdiu *Διάνοια* & discretio mentis abest (abest autem illa in teneriori ætate) tamdiu quis plenam & sufficientem, rei potissimum gravioris cognitionem habere non potest, & sic consequenter, non tam ex destinato consilio & *προαίρεσι* quàm ex mentis in iudicando infirmitate à recto deviare deprehenditur. Hinc est quod Scriptura Jon. 4. v. 11. Deut. 1. v. 39. infantes inter bonum & malum, inter dextram & sinistram distinguere posse neget, & quod Paulus Rom. 5. v. 14. infantes ex classe illorum qui in similitudine transgressionis Adam peccaverunt, eximat. Eo ipso autem dum Apostolus infantes à peccantibus *ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς ὑπακοῆς* *Ἀδάμ* distinguit, simul etiam *καὶ Διάνοια* & vi bonæ Consequentiæ peccata *προαιρετικά* in illos cadere posse inficiatur. Quod ne cui dubium videatur, examinet, quæso, lapsum illum primum Adamiticum & merè *προαιρετικὸν καὶ βεβουλευτικὸν* illum fuisse deprehendet, cui rei lucem inferre potest accuratio Loci Gen. 3. cum Rom. 5. v. 12. instituta collatio. Ex plenâ scilicet & liberâ voluntate Adam, vanâ spe imperii cum Deo dividendi inescatus, viam illam regiam reliquit, & per voluntatis à recto deviationem, omnia sibi posterisq; mala & infortunia attraxit. Ubi tamen & illud noto, quod, quando voluntas deflexionis primæ Adamiticæ causa dicitur, voluntas *non ratione sui* esse, aut quâ voluntas est; quippe hoc respectu à Deo & bona est; sed ratione accidentis, nimirum quâ vitiosa & à normâ divinâ deflectens, consideretur. Licet enim primi hominis voluntas, cum naturali ad bonum propensione creata fuerit, fuit tamen illa libera ita ut & non peccare & peccare potuerit. Videatur hanc in rem B. Meine-

sne-

nerus Anthrop. Dec. 1. Disp. 4. de Lapſu primi hominis Quæſt. 2. p. 104. Ubi notanter ille: *Unde, quærit, illud in voluntate vitium: Ab ipſâ (ſcil. voluntate) non tamen per ſe, ſed accidens. Mali enim, pergit idem, cauſa bonum eſt verum non per ſe & quatenus bonum, ſed per accidens & quatenus deficit. Conf. cui viſum eſt cum priori noſtro diſcurſu B. Feurbornius Diſſert. de Pecc. in Spir. S. Cap. 9. p. 124. ſupra laudatus D. Köning in Theol. Poſit. Acroam. de Peccato in Spir. S. p. 94. §. 155. Cùm igitur plenarius rationis uſus non cadat in infantes, non etiam illis; ſed ſolis adultis Peccatum in Spiritum S. tribui poteſt.*

§. 2. Præter id verò quod ejuſmodi hominem juſtos diſcretionis boni maliq; annos attigiffe neceſſum eſt, illud quoq; requiritur, ut ſufficienti Doctrinæ Cognitione imbutus ſit. Probamus illud ex Epistol. ad Hebræos 6. v. 4. quæ Peccati huius Patratores *Φωτισέντας* ſeu illuminatos dicit. Poteſt autem Cognitio hæc bifariam conſiderari, vel, quatenus eſt *παιδαγωγικὴ* ac *γραμματικὴ* Literalis & Pædagogica, vel quatenus eſt *πνευματικὴ* & gratioſa.

§. 3. Pædagogica & Literalis eſt, quando quis certâ veritatis divinæ agnitione inſtructus, deq; ejuſ firmitate & certitudine in conſcientiâ ſuâ *ἀποκατάκειται* eſt, nondum tamen cognitam hanc veritatem ſigillo Spiritûs in corde ſuo obſignatam, aut per gratioſam Sanctiſſimi flaminis inhabitationem & ſpiritualement illuminationem confirmatam habet.

§. 4. *πνευματικὴ*, Spiritualis & gratioſa eſt, quando veritas agnita interno Spiritûs S., gratioſè corda hominum, ceu templa quædam ſibi conſecrata inhabitantis, teſtimonio corroboratur ac confirmatur; ita ut veritas illa non ſciatur modo & agnoſcatur, ſed inſimul gratioſè à Spiritu S. in corde hominis obſignetur.

§. 5. Pro veritate cognitionis huius, gemina etiam à Quibusdam Theologis Peccantium in Spir. S. claſſis conſtitui ſolet, Non-Renatorum una, altera Renatorum. Illis literalem tantummodo & pædagogicam; his gratioſam & ſpiritualement cognitionem tribuunt.

§. 6. Non-Renatos, veritate tamen divinâ, per cognitionem pæda-

pædagogicam (quam ad constituendum Peccatorem in Spiritum S. jam sufficere vult B. Meisn. Lib. sæp. cit. Decad. I. Disp. X. Quæst. 2. p. mihi 323.) instructos, Peccati hujus jure optimo reos agi posse, Exemplo Phariseorum & Pharaonis probant D. Meisn. I alleg. & B. Feurborn. Dissert. de Pecc. in Spir. S. Cap. 8. p. 69. seqq.

§. 7. Alii in contrarium pro Solis Renatis concludunt, quam sententiam etiam video esse B. Hutteri LL. CC. Art. X. p. 367. cujus hæc sunt verba: *Non à quovis, sed ab eo in Spir. S. potest peccari, qui evidentem habet veritatis doctrinæ cœlestis agnitionem.* Notam hanc exprimit Ep. Heb. Cap. 6. v. 4. 5. *Impossibile est &c. Quæ sanè descriptio, pergit ille, non nisi illis competit qui non superficiali aliquam aut semiplenam, sed accuratam ac evidentem habet Doctrinæ cœlestis agnitionem, per fidem veram sancitam in cordibus ipsorum, imò confirmatam spe hereditatis filiorum DEI, ac gustu quoque aeternæ vitæ, ob signatam, deniq; Spiritu S. tanquam arrhabone hereditatis Filiorum DEI &c.* & B. Hülsemanni in Brev. Theol. Cap. V. de Peccato §. 16. *Peccatum, inquit, in Spiritum S. committitur ab hominibus illuminatis in veritate fidei, & interno Spiritus S. testimonio convictis.* Nec obscure ad hanc opinionem accedere videtur D. Balduin. in Comment. super Ep. ad Hebræos ad Cap. 6. v. 4. seqq. sic scribens: *Sunt alii, qui à verâ fide prolabantur, licet eam nondum verè fuerint amplexi, veram tamen esse sciverunt, quemadmodum de Pseudopropheta scribit D. Petrus, quod Dominum abnegent, qui eos mercatus est 2. Petr. 2. v. 1. in eum tamen Dominum nunquam verè crediderunt. Sunt alii, qui veritatem fidei cœlestis quidem agnoverunt, sed notitiâ nondum satis confirmatâ, verum titubante conscientia: unde facilis & proclivis est prolapsus. De his etiam nihil habet Apostolus noster. Agit enim de iis, qui fuere ante lapsum illustrati v. 4. i. e. in fide confirmati, quiq; donum cœlestis gustaverunt, i. e. in quibus fidem Christus ob signavit.*

§. 8. Nos (etsi utriusq; partis non vulgares, uti visum est, sint Patroni) posteriorem tamen magis nobis probari dicimus, quippe quæ firmissimo Apostolico fundamento, in allegato scil. Ep. ad Hebræos loco, innixa est, quod quamdiu stat immotum, hanc quoq; sententiam inconcussam stare necessum est.

§. 9. Salvâ igitur prioris Sententiæ auctoritate, de qua prolixius

lixius

lixius dispicere nostri jam non est instituti (nisi quod unicum illud moneamus, Phariseos, per verbum & acceptam Circumcisionem, legitima tum regenerationis media, Renovatos, pro Non-Renatis non posse haberi) Solos Renovatos, pro Subjectis, Blasphemiam hanc Spiritus committentibus, habemus. Robur autem suum omne assertum hoc in Epist. Ebr. 6. v. 4. 5. invenit, ubi Peccatum hoc Committentes, bonum Dei verbum, potestates futuri seculi donumq; cœleste gustasse & Spiritus S. participes facti dicuntur. Equidem, si Scholam Calvinianorum consulamus, illa, ne largiri nobis cogatur: Renovatos ex gratiâ Dei excidere posse, nescio in quem, alienissimum etiam sensum locum hunc detorque, quàm de Regenitis nobiscum exponere mavult. Huc referendus est Pareus in Comment. ad h. l. qui per futurum seculum Ecclesiam N. T. intelligendam esse ait, quam futuram vocet Auctor Epistolæ ad Ebræos, non sui temporis, sed Patrum respectu. Ex fundamento autem & fuse hanc Parei sententiam refutavit B. Feurborn. in Dissert. sæpius all. Cap. 8. p. 83. seq. ubi prolixè demonstrat phrasin αἰὼν μέλλων seu ἐρχόμενον in Scripturâ S. notari statum futurum, post universalem ex mortuis resurrectionem (incluso tamen singulari modo illo tempore, quod temporalem cujusq; hominis mortem insequitur) uti patet (α) ex Christi μερισμῶν seu facta divisione Matth. 12. v. 32. non remittetur ei ἢ τε ἐν τῷ αἰὼνι ἢ τε ἐν τῷ μέλλοντι neq; in hoc seculo neq; in futuro. (β) ex vitâ æternâ, quæ cum venturo seculo conjungitur Marc. 10. v. 30. (γ) ex Resurrectione, quæ itidem ad futurum seculum refertur & cum illo connectitur Luc. 20. v. 35. (δ) ex Pauli proloquio Eph. 1. v. 21. Super omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. (ε) ex ultimi adventus Christi effectu. Nam, si ille demum hoc præsens seculum finiet, ergo futurum seculum erit, post ultimum Christi adventum; præsens enim cum perit restat futurum. At prius patet ex Matth. 24. v. 3. & c. E & posterius clarum est. Vide de his plura l. cit. ubi & fraudem Parei sinistrè Chrysostomi auctoritatem pro se allegantis detectam deprehendes. Licet enim (quod obiter monendum duco) supra Laudati Theologi, D. Meisnerus, D. Feurbornius & cum illis adhuc alii, etiam Non-Renatos peccatum hoc

mittere posse existiment, simul tamen illi nobiscum locum ad Ebr. 6. de solis Renatis hujus Peccati reis exponunt, adeo ut hic omnes Nostratum Expositiones amicissimè contra Reformatos, qui in solos Non-Renatos peccatum hoc cadere sed ἀγέφως & ἀνπεφύφως urgent, conspirare videantur.

§. 10. Renatos igitur, pro *Principio quod* hujus Peccati habendos esse patet 1. *Ex illuminatione gratiosâ*, quæ non fit nisi per μετοχήν τῆς αἰγίας πνεύματος & hic enim est πνεῦμα σοφίας καὶ δόξα καλύψεως faciens πεφωτισμένους οφθαλμούς Eph. 1. v. 17. 18. Conf. D. Dorscheum in Theol. Zacharian. Part. 2. Disp. V. Loc. 2. §. 61. p. 224. Non enim hic levior quædam & primùm per nebulas caliginosæ mentis prorumpens, sed plenaria & gratiosa Spiritûs S. illuminatio intelligenda venit, neq; emphasi suâ vocabulum ἀπαξ ab Apostolo adhibitum carere existimamus, quod (si Theologo pariter & Philologo insigni D. Glasio Phil. S. L. 3. Tract. V. p. 710. fidem habemus) idem hic quod *planè & verè* significat; cui parallelus est locus Ebr. 9. v. 26. Nunc autem ἀπαξ semel in consummatione seculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit; ad quæ verba vir supra laudatus hunc in modum scribit: *Hic, inquit, adverbium semel, non tantum videlicet vicem, sed etiam summam quandam perfectionem denotat, quod videl. unicum & perfectissimum quidem pro Peccatis mundi sacrificium obtulerit, & DEum nobis Peccatoribus reconciliaverit.* Fusius autem locum Epistolæ ad Hebr. 6. examinant D. Balduin. in Comment. ad h. l. cujus verba etiam supra citavimus & B. Feurbornius Tom. VII. Disp. Gissens. Disp. XVI. n. 201. p. m. 402. qui per φωτισθέντας hocce, Spiritualiter & mente & corde illustratos, salvificâq; cognitione donatos intelligendos monet.

§. 11. *Ex gustu & perceptione Cordis internatum doni Cælestis, & boni DEI Verbi, tum virtutum etiam futuri seculi.* Per donum illud Cæleste communi ferè interpretum Consensu Christus, quatenus ille hominibus hisce blasphemis, dum in statu adhuc integro vivebant, per fidem in meritum suum universale, gratiam & remissionem Peccatorum contulit, intelligitur. Cæleste hoc donum dicitur 1. quia ἀνωθεν ἐστὶν & Cælitus nobis concessum est Jacob. 1. v. 17. Joh. 3. v. 13. 2. Quia à rebus terrenis alienum

num

num, utpote quod multis paraſangis, ratione dignitatis & ſubli-
mitatis eaſdem poſt ſe relinquit. Non enim humanum tantum,
ſed ipſum etiam Angelicum intellectum doctrina de Chriſto ex-
cedit, cum aſſidue adhuc Angeli *θεραπεύου* introſpicere geſti-
ant in myſterium illud *ἐνοσηρόσεως* i. e. λόγος & redemptionis hu-
manæ per Chriſtum factæ. Bonum autem Dei verbum nihil aliud
quàm ſummam & melle dulciorem Evangelii ſuavitatem innuit.
Qua in re non tantum non repugnantes Piſcatorem & Pareum
(quos notat B. Feurbornius) ſed *ὁμοψήφως* etiam conſentien-
tem habemus Coccejum, qui ſatis aperte per *donum hoc Cæleſte*,
Chriſtum de Cælo datum, & per bonum Dei verbum, iuſtifica-
tionem gratuitam ex fide intelligit. Vid. Summa Theol. ab illo
conſcripta Cap. 29. §. 48. p. 330.

§. 12. Virtutes futuri ſæculi, quarum itidem mentio fit ab A-
poſtolo, commodiſſimè per vitam æternam, & reſoſita beatis
dona, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit 1. Cor. 2. v. 9. exponi
poſſunt. De Strophis Calvinianorum, qui per *μέλλοντα αἰώνια*
Tempora N. T. intelligunt dictum eſt ſupra, quare illas ſicco jam
pede præterimus.

§. 13. Hæc tam inſignia & ſupra æſtimationem poſita dona
ac bona Apoſtatas hoſce guſtâſſe dicit Spiritus S. l. allegato,
eleganti metaphorâ ſenſûs officium ad intellectum transferens,
id quod Scripturæ non infrequens eſſe videmus, quæ paſſim Sen-
ſum guſtûs pro alio quoſiam ſenſu ponit & verba etiam intelle-
ctui competentia, ut ſunt intelligere, aliquid cum interno cor-
dis prolubio percipere, eodemq; cum ſumma animi oblectatio-
ne frui Guſtûs vocabulo exprimere ſolet. Sic Pſal. 34. v. 9. *γεύεσθε*
Guſtate, inquit divinus Pſalter, Dominum, quàm ſit bonus, id eſt
(exponente Flacio in Clavi ſuâ ſub voce Guſtûs p. 386. (*ex ſpiri-
tuali guſtu & experienciâ cognoscite*). Sic Proverb. 31 mulier indu-
ſtria, dicitur guſtare, quod bona ſit negotiatio ſua, i. e. (expo-
nente Illyrico l. all.) experimento cognoscere, ſuam induſtriam
ac laborem eſſe ſalutarem. Hinc eſt quod Ebrais vox *טעם* &
guſtum & rationem quoq; ſeu conſilium notet. Vid. loca 1. Sam.
25. v. 33. ubi David ad Abigail *ברוך טעמך* Benedictus guſtus tuus
i. e. prudentia tua. Idem etiam familiare videmus eſſe Novo Te-
ſtamento: Sic Chriſtus Matth. 16. v. 28. guſtare mortem, pro ſen-
tire

ire mortem, seu mori; Petrus 1. Ep. 2. v. 3. Si gustâstis quod benignus est Dominus, pro; si experti estis, dixerunt. Quando igitur Peccatores in Sp. S. donum cœlestē, bonum Dei Verbum & Virtutes futuri seculi gustâsse dicuntur, idem est ac si diceret Textus: eos Doctrinam de Christo, de salutari ejus merito, de benigna peccatorum remissione, de Verbo gratiæ & Evangelio & tandem ipsam dulcedinem Futuræ vitæ & statum Comprehensorem seu Civium Cœlestium, pro ratione & modulo Viatorum jamdum in corde suo expertos fuisse. Conf. Glass. Phil. S. L. V. Tract. 1. Cap. XII. p. 1305.

§. 14. Sed, clara licet sint Apostoli verba, non tamen hîc desunt Contradicentes Reformati, qui ut thesin suam: regenitos non posse excidere ex gratiâ, quocunq; id demum fiat modo, obtineant, non verentur Gustum hunc in libellis & commentariis suis adeo extenuare, ut non nisi irrogenitis illum competere dicant. Putant autem se in vocabulo Gustûs, id, quod pueri in fabâ, invenisse. Sic Zanchius in Miscell. p. 286. Dicit, Apostolum vocabulum gustandi adhibuisse, non autem edendi vel deglutendi, ad denotandam levem perceptionem. Pollicem illi premit Piscator in Cap. 6. ad Hebr. Observ. 6. qui *Levem hunc gustum* dicit, quia *non habeat adjunctam immutationem voluntatis ad diligendum DEum pro tanto beneficio.* Similes reperias Eglini, Paræi aliorumq; hujus Commatis hominum sentias, quibus in universum omnibus genuinâ gustûs explicatio minimè ad palatum.

§. 15. Sed, ut illis etiam satisfiat, dicimus malè hic à Scholâ Reformatorum gustum & esum adeo sibi invicem opponi, ut ille hunc sub se comprehendere nequeat. Contrarium elucet ex Historiâ Jonathanis, qui Parentis edictum ignorans de melle comedit, nihilominus tamen in Verbis subsequētib; tantummodo parum se de melle gustasse dicit; ubi secundum mentem Reformatorum τὸ gustasse idem deberet esse ac non edisse. Ne autem fortè quis rivulis aliquid inesse credat, quod non insit fonti; ipsum fontem lustremus 1. Sam. 14, 27. qui sic fluit: Et Jonathan non audierat, cum adjuraret Pater ejus Populum: extenditq; summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis פִּי אֶל-יָדָיו וַיִּשֶׁבֶט & applicavit ori manum suam, quâ phrasi ipse edendi actus describitur, sicut patet ex Versu
proxi-

proximè præcedente ubi eadem visitur loquendi ratio, nisi quod tantummodo pro verbo הישיב aliud verbum nimirum נשג in Constructione adhibeatur: sic enim habet versus præcedens: ingressus est itaq; populus saltum & apparuit fluens mel פיו לִּי וְאִין מִשּׁוֹג יָדוֹ אֶל פִּי nemo comedebat. In Versu verò ejusdem Cap. 31. (juxta partitionem fontis, in versione enim est γ. 29.) idem illud quod edendi formulâ ante descriptum, per gustandi verbum à Jonathane effertur, sic enim ille: כי טעמתי מעט רבש quoniam gustavi parum de melle. Apparet igitur ex hoc exemplo Scripturam interdum π̄ edere per gustandi φεῖσθαι insinuare; atq; sic porro patescit, gustum semper notare veram & realem rei γευσθαι perceptionem, Ad κρησφύγετον autem illud quod Eglinus Matth. 27. γ. 34. quærit, sufficienter jam à B. Feurbornio responsum, qui videatur in disert. suâ Cap 8. p. 93.

§. 16. Neq; nobis obstat, quod Apostatae hi, gustum illum intermittant; cum nihil obstat, quo minus quis rem quandam ὄντως & revera percipere, neq; tamen actum illum continuare possit; Continuatio enim, utpote affectio extrinseca non ad rem ipsam sed ad modum rei pertinet. Adhuc igitur verborum Apostolicorum interpretatio, de reali & verâ horum bonorum perceptione, per omnia sibi constat & ad mentem Apostoli proximè accedit.

§. 17. Tertium probationis caput, quo homines hosce apostatas, antea Regenitorum numero adscriptos fuisse probamus, in ipso Textu contineri dicimus, ubi iidem illi dicuntur facti μέτοχοι πνεύματι & ἀγάπῃ. Coccejus loco supra allegato & ante illum Pareus cum Complicibus per Spiritum hunc, *Charismata*, quibus (ut Coccejus loquitur) *Ecclesia ornata est & edificatur* intelligunt.

§. 18. Verum, ut non inficiamur, etiam Charismata Spiritûs, simul sub hâc voce involvi posse, ita negamus Vocabulum Spiritûs tantum pro Charismatibus, in *Exclusionem donorum sanctificantium* sumi debere. Probamus illud ex collatione Cap. X. Ep. ad Hebr. γ. 29. qui locus huic nostro per omnia parallelus est. Spiritus autem ille, qui Eb. 6. Sanctus vocatur, idem ad Ebr. 10. dicitur πνεῦμα τῆς χάριτος Spiritus gratiæ, per quem nihil aliud,

Quam ipsa Spiritus S. Persona cum donis suis sanctificantibus & justificantibus intelligi debet. Vocem enim πνεύματι hic non posse in notione Charismatum capi, probat pro me Theologorum ocellus B. Dorscheus in Theol. Zacharian. Part. 2. Disput. V. Loco 2. de Deo Uno & Trino. Ubi fusius demonstrat verbum ὑβέρξεν in N. T. semper pro objecto habere Personam, cui rei probandæ producit Locos benè multos, ut Matth. 22. v. 6. Luc. 11. v. 45. Luc. 18, 32. Act. 14. v. 5. &c. Si igitur ipsius Spiritus S. υέ-
 ποχοι & Participes facti sunt homines illi, qui non tantum effe-
 ctivè; sed etiam subjectivè antea in illis habitavit Conf. Gal. 4.
 v. 6. Rom. 8. v. 11. Rom. 5. v. 5. & B. Chemnitium LL. Theol. Tom. I.
 Loc. 3. de Perf. Spiritus S. Cap. 4. num. V. p. m. 102. non potuerunt
 jam donis gratiosis justificantibus & sanctificantibus destitui.
 Si autem per Spiritum S. justificati & sanctificati fuerunt appli-
 catione sanguinis Christi, in quo solo vera sanctitas Ebr. 10. v. 29.
 ergò non potuerunt non Renatorum cœtui adnumerari.

§. 19. Ex hisce in medium adductis fundamentis, ejusmodi
 jam pro thesi meâ inferre lubet ratiocinium

Quicumq; verè fuerunt illuminati & gustaverunt do-
 num cœleste bonumq; DEI verbum & virtutes fu-
 turi seculi & participes facti sunt Spiritus S. seu
 Spiritus gratiæ illi verè fuerunt Renati.

Atqui Apostatae ante prolapsam & ὑβέρξουα suam ve-
 rè fuerunt illuminati &c. E Apostatae ante suam
 prolapsam fuerunt verè Renati.

Sic igitur jam pro Renatis & Solis quidem, tanquam Subjectis
 ad committendum Peccatum hoc idoneis, concludimus. Causæ
 verò quæ nos movent, ut irregenos ex hâc peccantium Classe
 eximamus, sunt 1. Silentium Scripturæ, quæ nullibi in sedibus
 doctrinalibus hujus peccati, vel verbulo irregenitorum memi-
 nit; sed potius 2. Subjecta illa ita describit, ut descriptio illa ex-
 presse irregenos excludat: 3. Defectus Exempli infallibilis in
 Sacro Codice. Adduci quidem in hanc rem solent exempla
 Pharaonis & Phariseorum. Sed desideramus in Pharaone suffi-
 cientem illuminationem, cum igitur adhuc κενώμενον sit, an no-
 titia & cognitio pædagogica sit sufficiens, nec ne? Imò cum po-
 tius

nus ex ipso Verbo Dei probari possit illam esse insufficientem, irrogenitorum in Sp.S. peccantium exemplum in Pharaone nullum habebimus.

§. 20. Phariseos autem quod concernit, utraq; manu largimur, fuisse illos hujus Peccati reos, sicut expresse patet ex collatione locorum Matth. 12. v. 31. & Marc. 3. v. 30. Priorem enim locum accuratius considerantes, videmus a Christo hominem obsessum a daemone suo liberatum, & quoad visus auditusq; organa in integrum restitutum fuisse. Miraculosum hoc humanesq; vires excedens opus, dente, quod ajunt, Theonino ardebant Pharisei, & calumniis quibus poterant acerbissimis profcindebat; & ne quid impietati deesse videretur, non verebantur Dei & interni cordis testimonii immemores, stupendam illam blasphemiam, eructare, Christum scil. ope Beelsebub in pelendis malis Spiritibus sublevari. Id animadvertens Salvator ad absurdum illos, allatis in hanc rem similibus quibusdam deducit. 2. Hoc Phariseorum peccatum vivis coloribus descripturus per Conjunctionem Causalem *ὅτι τῶν* propterea expresse Phariseos hujus blasphemiae convincit; id quod uberius probatur ex Collatione Ev. Marci, qui de iisdem Phariseis, deq; hoc peccato agens, in versu 30. causam, qua inductus Salvator de Peccato hoc egerit expresse subjungit, inquiens: *ὅτι ἔλεγον, πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει*, Quia dicebant, (Pharisei) Spiritum immundum habet.

§. 21. Irregenos autem illos fuisse, & *χαμιαπικην* tantummodo cognitionem illis tribuendam esse, id est, quod negamus. Nos, Regenos illos fuisse ex circumcissione illis collata, & ex verbo divino quod penes illos erat, tanquam legitimis tum Regenerationis mediis, probare satis firmiter possumus. Taceo jam, quod sufficientissima in illis fuerit illuminatio, quod patescit ex consideratione locorum Joh. 3. v. 2. Ubi sic Nicodemus ad Christum; *Rabbi, scimus, quia a DEO venisti Magister. Nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit DEUS cum eo.* Hinc Christus ipse ad illos Joh. 7. v. 28. *Et me nostis, inquit, & unde sim nostis.* Quò etiam referendus Locus Matth. 22. v. 16. Ubi discipuli Phariseorum cum Herodianis hunc in modum Salvatorem nostrum alloquuntur: *Magister, scimus, quia verax es, & viam DEI*

in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis Personam hominum. Nisi fortè quis locum hunc magis pro mellitâ quâdam & subdolâ captione, quàm pro ingenuâ confessione habere mâlit; qui nos hâc in re non habebit multum contradicentes.

THES. IV.

Requisita ex parte ipsius Peccati, sunt illa, quæ internam ejus formam constituunt. Absolvitur autem illa 1. Doctrinæ Evangelicæ sufficienter agnitæ ex liberâ voluntate factâ abnegatione 2. Voluntariâ blasphematione 3. Hostili oppugnatione 4. Omnium salutis mediorum constanti abjectione.

EX JEONIS.

§. 1. Primum Peccati hujus formale requisitum dicimus esse doctrinæ Evangelicæ sufficienter agnitæ ex liberâ voluntate factam abnegationem. Ubi duo nobis notanda veniunt. (a) Objectum circa quod versatur abnegatio (b) ipsa abnegatio voluntaria.

§. 2. Objectum, in quod peccatum hoc fertur, aliud mediatum, aliud immediatum constitui potest. Mediatum seu remotius ipse Spiritus S. est, qui peccato ejusmodi abigitur contristatur & constanter rejicitur. Mediatum & proximum, cujus etiam in Thesi mentionem fecimus, est Doctrina Evangelica; non enim circa vitam & mores, sed circa fidem & Evangelium occupatur hæc blasphemia, id quod prolixius jam probandum venit. Provocamus igitur ad omnia Scripturæ loca, quotquot etiam de Peccato hoc agunt. Pharisei miracula Christi, quæ faciebant ad Confirmationem Evangelii Matth. 12. v. 31. 32. & ipsam ejus Doctrinam Joh. 8. v. 52. blasphemo suo ore proscindebant, indeque peccati hujus rei agebantur ab ipso Christo Matth. 12. Marc. 3. Luc. 12. Bonum Dei Verbum, donum Cœlestis, virtutes futuri seculi, Filium Dei sanguine testamentario nos sanctificantem, & Spiritum gratiæ mediante verbo hæc omnia offerentem & applican.

plicantem, rejici, profanum haberi, pedibus conculcari & blasphemio ore tractari in peccato hocce docet Epist. ad Hebr. X. v. 29. Cap. 6. v. 4. 5. 6. Hinc etiam Peccatores hi blasphemi in posteriori hoc loco, denuo Filium Dei cruci affigere, probris, fanis & scommatibus exponere & tractare dicuntur. Omnes autem hæ actiones non in vitam & mores, sed in ipsum Evangelium impingunt.

§. 3. Urgemus porro clarissima Apostoli verba Ebr. 10. v. 28. qui expressè blasphemiam hanc à morum Peccatis distinguit. Verba ejus sic habent: irritam faciens Legem Mosis, duobus vel tribus testibus moritur, quanto magis putabitis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit.

§. 4. Ultimo deniq; probamus illud ex ratione; quia nimirum omnia morum peccata, si per singulas illorum species ire velimus, sunt remisibilia; solum autem hoc peccatum, quia scilicet (uti jam dictum supra & adhuc plenius infra dicendum erit) omnia media expiatoria rejicit, simpliciter irremissibile à Scripturâ pronunciat.

§. 5. Circa hoc Objectum suum, Doctrinam Evangelicam sufficienter agnitam versatur jam Peccatum hocce abnegando, id quod oppido patescit ex descriptione Apostolicâ Eb. 6. v. 6. ubi Peccatores hi *ἠσυχῶντες* prolapsi dicuntur. *παράπτωμα* autem hoc necessario repudiationem termini à quo nempe doctrinæ prius agnitæ, cui *ἀποστασία* hæc suâ nuncium mittit Peccator, simul includit. Conferri hîc meretur Cap. 10. v. 25. laudatæ Epistolæ, ubi Apostolus Peccatores hocce descripturus, dicit illos *ἐγκαταλείπειν ὁπίσθεν αὐτοῦ* verè credentium. Quid igitur aliud verum ovile deserendo, agunt, quam Veritatem Cœlestem ore & re abnegant? Quid aliud Christum deserentes agunt, quàm dispergunt? Exemplo nobis sint Pharisei, qui Christum, de cujus divinitate, officio & doctrinâ, tot miraculis, omnes omnium hominum vires excedentibus, tot mellitissimis Christi Concionibus, tot nervosissimis disputationibus, imò, quod magis quis miretur, proprio conscientia dictamine satis in cordibus suis convicti erant, abnegabant & Doctrinam ejus Cœlestem, Unicam illam animarum medicinam è finibus suis proscriptam & profligatam volebant.

G

§. 6. Obj

§. 6. Obiter hîc & ὡς ἐν παρεόδῳ notamus εἰσφασιν phraseos Apostolicæ ἐγκαταλείπειν τὴν ΕΠΙΣΤΡΑΦΩΓΗΝ. Evoluta illa est B. Feurbornio Dissert. de Pecc. in Spir. S. Cap. 14. Non abs re, inquit laudatus Theologus, posuit Auctor (Ep. ad Hebræos) vocem compositum ἑπισυναγωγὴν. Judæorum enim cætus & conventus erat συναγωγὴ Matth. 4. v. 23. & 6. v. 25. & 10. v. 17. & 12. v. 9. Gentium verò aggregatarum respectu, hîc illa augmentata collectio dicitur ἑπισυναγωγὴ, à quâ ne se subtrahant Hebræi (qui aggregationem & accessionem conversarum gentium reputabant quasi impura vestis appendicem;) eosdem gravissimè monet, &c.

§. 7. Cæterum Abnegatio hîc non quævis, sed illa, quæ plenè liberâ nec à principio externo impeditâ voluntate committitur, intelligenda venit; sic enim Apostolus Ebr. X, v. 26. ἘΚΟΥΣΙΩΣ ἀμαρτανόντων ἡμῶν μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiâ veritatis. Quid ἐκασίως & ex opposito ἀκασίως fieri dicendum sit, non quidem per omnia convenit inter Eruditos. Maximè, autem id in Philosophorum Scholis Controversum videtur: An etiam actiones illæ, quæ ἀπὸ θυμὸν irâ, vel δι' ἐπιθυμίαν cupiditate aguntur, voluntariè aut spontè fieri dicendæ sint? In diversas hîc, uti dictum, partes abeunt Eruditiores, negativam aliis, aliis affirmativam hujus quæstionis probantibus. Nos quidem, nostri memores instituti, nostram hanc litem non facimus, multis tamen absurdis negativæ partis Patronos urgeri certum est. Quod si enim dicendum, illa, quæ ex ira aut cupiditate suscipiuntur invitè fieri, sequetur sanè (1) turpia invitè, honesta verò sponte agi; cum tamen utrorumq; idem sit principium, hoc ceu γελοῖον explodit Aristoteles Lib. 3. ad Nicom. (2) invita quoq; illa erunt dicenda, quæ sunt appetenda, quod tamen absurdum est: decet enim καὶ ὀργίζεσθαι ἐπὶ πῶσι, καὶ ἐπιθυμεῖν ἰνῶν, irasci quibusdam de rebus & nonnullarum duci cupiditate, dicente & docente Philosopho l. cit. (3) Si talia, quæ irâ & cupiditate fiunt, ideo invita sunt, quod mala; etiam illa quæ à ratione peccantur invita & toleranda erunt, monente Eodem ibidem.

§. 8. Affirmativam igitur, & merito cum ipso Aristotele tenemus, ita ut ἐκασίον nobis illud sit ἢ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ, εἰδὸτι τὰ κατὰ ἑκάστου

ἐκαστὸν οἷς ἡ πρᾶξις, cuius Principium quisque continet, sciens res singulas, in quibus actio versetur *Vid. Arist. l. cit.* Neque vel cupiditatem, vel iram etiam obstare putamus, quò minus actio voluntaria dicatur; cum illud solùm verè sit ἀκρίσιον & involuntarium πὲρ βία ἢ δι' ἀγνοίας γινόμενον, quod vel ex vi, vel ex ignorantia geritur Confer. *Phil. l. all.* ira autem & cupiditas nec homini notitiam illam quam de re habuit eripiunt, nec extrinsecè illum impellunt.

§. 9. Ἐκρίσιον igitur Apostolici (ut ad propositum revertamur) sumitur hinc in oppositione ad ἀκρίσιον, quatenus illud causas impellentes ab extra, non verò internos affectus, iram vel odium excludere debet. Atque sic ἐκρίσιως seu voluntariè veritatem agnitam abnegare dicuntur Peccatores in Spir. S. quia voluntas eorum in hoc actu planè libera relinquitur, ita ut ex destinato consilio, & internâ malitiâ eligant sic, neq; aliter agere.

§. 10. Hinc jam clarum evadit, quid de abnegatione Petrinâ Matth. 26. v. 30. seqq. Marc. 14. v. 68. seqq. Luc. 22. v. 57. seqq. Joh. 18. v. 17. seqq. ut & de blasphemia & hostili oppugnatione Pauli, antea Saulis I. Tim. I. v. 13. sentiendum sit.

§. 11. Apostolum enim Petrum quod attinet, scienter quidem ille, non tamen ex plenè liberâ, sed inclinâtâ ac extrinsecus ligatâ voluntate Christum θεοῦ υἱοῦ ἀποστρέψας abnegavit. Duò enim illi ingentia obversabantur mala; aut enim Christus abnegandus aut extremum vitæ periculum adeundum erat. Ex duobus hisce, quod minimum illi, sed falsò videbatur (Abnegationem sc.) eligendum sibi putabat. Abnegatio igitur hæc Petrina in foro Philosophico, ad actiones, quæ morum Magistris, mixtæ dicuntur, in Theologico ad Peccatum in filium hominis referenda.

§. 12. De Paulo res in confesio est, eum fuisse blasphemum, persecutorem Ecclesiæ & contumeliosum, ut ex propria eius Confessione I. Tim. I. 13. discere habemus; sed neq; hinc ἐκρίσιως peccasse dicendus quippe qui nondum plenariâ veritatis cognitione instructus erat, sic enim ipse de se ipso I. all. sed misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.

§. 13. Ubicunq; igitur ignorantia adhuc obtinet, vel voluntas in libero suo exercitio à causâ quadam extrinsecâ impeditur,

zur, ibi quidem Peccatum in Filium hominis committi potest, peccatum a. in Spiritum S. quod ἐκγσίον esse debet, non potest.

§. 14. Hinc non satis accuratè rem expendunt qui Franciscum Spieram Italum Peccati in Spiritum S. convincere volunt; non enim ἐκγσίως ille sed ex metu amittendarum facultatum & plausibili amicorum persuasionem, eò dementiæ prolapsus est, ut veritatem semel agnitam abnegaret. Taceo quod συνδραμὴν & concursum formalium hujus Peccati requisitorum non dare in eodem liceat: nihil enim de ejus in Veritatem Cœlestem blasphemis, nihil de hostilibus ejusdem oppugnationibus narrant Historici, quos inter eminent Sleidanus Lib. 21. Calvinus in Historiâ Francisci Spieræ Gribaïdus, Heinr. Scotus &c.

§. 15. Malumus igitur illum cum Plurimis iisq; Clarissimis Theologis pro Peccatore in Filium Hominis & tandem desperabundo, quàm pro Peccatore in Sp. S. habere. Apertissimè nobis ad stipulatur B. Meisnerus Anthropol. S. Decad. I. Disp. X. de Pecc. in Sp. S. Quæst. 2. p. m. 319. *De Francisco Spiera, inquit, à nonnullis dubitatur, sed expedita est responsio, eum pro Peccatore in Spir. S. minimè habendam esse, quia 1. non ex malitiâ, sed infirmitate, non spontè, sed persuasus ab amicis defecit ad Papatum 2. Non impugnavit aut blasphemavit doctrinam Evangelii, sed summè doluit, quod à veritate defecit. Fuit ergo Peccatum ejus desperatio quidem, sed non blasphemia in Spiritum, cum fidem orthodoxam non negaverit, sed isti semper usq; ad mortem testimonium veritatis perhibuerit.* Confer. prolixè de eodem agens B. Feurborn. Diss. de Pecc. in Spir. S. cap. 38. pag. 529. seqq. ut & B. Hutterus LL. CC. p. 365. & 368. &c.

§. 16. Hæc sunt quæ de Requisito primo monere voluimus, sequitur secundum, quod est, *Veritatis abnegatae voluntaria blasphematio.* Esse Blasphemiam necessarium hujus Peccati requisitum pater vel ex nomine ejus, ab ipso ore veritatis illi indito, cum Matth. 12. v. 31. & in locis Reliquorum Evangelistarum parallelis βλασφημία dicitur, quâ de re fusius supra in Cap. I. egimus. Idem clarius fit, ex descriptione hujus Peccati Apostolica Heb. 6. v. 6. ubi ejusdem Patratores de novo Christum crucifigere eundemque ὀφθαλμοματίζειν infamare, seu ostentui habere dicuntur. Certum autem est Salvatore Nostrum Θεανθρώπου, post

post semel exantlatos pro peccatis nostris crucis dolores, & post victoriam illam, quam de morte, diabolo & inferno reportavit famosissimam *ἀνασταυρωθῆναι* seu denuo cruci, propriè loquendo, affigi nullo modo posse Heb. 9. v. 26. 28. Metaphoricè igitur locutio illa intelligenda est, ita ut sensus Apostoli sit, Peccatores illos tanto odio in Christum, ejus doctrinam & genuina membra ferri, ut nihil nisi blasphemias, execrationes, minas & persequutiones spirèt, ut blasphemo suo ore, & nil nisi debachationes diabolicas edoctâ lingvâ, unicum mundi salvatorem compungant, & quantum in illis est ultimo suppliciorum genere denuo affici cupiant. Licet enim non fugiat nos, per iteratam hanc Crucifixionem, Apostolum potissimum inimicas & tristissimas illas persequutiones, quæ moveri ab hominibus illis solent, indigitare, unde etiam Glasius Phil. S. L. V. Tract. I. Cap. XII. p. m. 1322. *Rursus, inquit, crucifigere dicuntur Apostata Filium DEI, qui à doctrinâ Christi crucifixi impiè desiscentes, odio eam persequuntur & vera ejus membra persequuntur, & Origenes, Glasio allegatus Hom. XI. in Jerem. Per singulos Martyres (verba ejus habent) Jesus condemnatur. Si condemnatur Christianus pro hoc tantum, quod Christianus est, Christus est, qui condemnatur*: Licet, inquam, probè hæc nobis sint cognita, nemo tamen & illud facile inficiari poterit, quin *ὕβρησιν* etiam & contumeliæ in Christum effusæ simul hæc phrasi Apostolicâ indicentur. Clarius illud exprimit vocabulum immediatè subsequens *ὡς δειγματίζειν*, quod præter reliqua quæ obtinet significata, etiam *infamare, aut ignominie aliquem exponere* significat ut Matth. 1. v. 19. Josephus *ἐθέλων αὐτὴν ὡς δειγματίζειν* nolens eam ignominie exponere, hoc est, nolens eam publicè infamem reddere, quo sensu etiam Profanos Auctores hæc voce usos fuisse annotat Cl. Schmiddius in Not. suis ad Matth. 1. v. 19. ubi locum Plutarchi de *πολυπραγμ.* adducit, qui ita de Archelocho: *Archelochus obscænis suis versibus se ipsum ὡς δειγματίζειν, infamem reddit, infamie & ignominie se exponit, exemplum sese facit profligatæ obscænitatis.* Multum etiam hinc nos juvare poterit collatio Cap. X. ad Hebr. v. 29. ubi clarissima *ἐνυβρίσματα* seu contumeliæ mentio injicitur.

§. 17. Non abs re autem hic quæritur: An oralis semper blasphematio requiratur, an verò etiam mentalis sufficere possit? Videntur quidem hic Theologi non per omnia consentire, quibusdam prius, aliis posterius asserentibus. Mentalem sufficere posse docet B. Meisnerus Anthrop. S. Dec. I. Disput. X. de Pecc. in Sp. S. Quæst. 2. n. 39. p. m. 329. his verbis. *Essentiale igitur requisitum Peccati hujus est blasphematio doctrine; quæ ipsa licet non semper manifestis verbis proferatur, tamen certum est ejusmodi homines in corde suo blasphemare & execrari veritatem agnitam, uti docet exemplum Phariseorum.* Paria cum illo facit D. Ægid. Hunnius in Art. de Peccato p. m. 84. *Si maximè, inquit Theologus laudatus, blasphemia hæc non semper in verba sive linguam erumpat: tales tamen blasphemant & execrantur veritatem in cordibus suis.* Quemadmodum Phariseorum blasphemia non tam linguâ exprimebatur, quàm in contumeliosâ & blasphemâ execratione cordis sita erat. Ideò in eâ quoq; historiâ apud Mattheum & Lucam legitur. Jesum vidisse blasphemias cogitationes eorum. Et quidem coram DEO perinde est, sive quis ore dicat convitium doctrine agnitæ, sive corde suo illam execretur, cum non minus illa cordis execratio pateat DEI oculis, quàm in apertum prolata lingue blasphemia. In hanc quoque sententiam ex Reformatis inclinât Zvinglius in Cap. 12. Matthæi qui ita ad v. 33. commentatur. *Dicere blasphemiam hæc generaliter capitur, pro loqui, meditari, cogitare, statuere aut facere: nam Hebræis latæ significationis est רבך B. Feurbornius cum in Dissert. suâ Cap. 16. p. 260. itidem hanc Quæstionem movisset, ita illam decidit: Respondent quidam affirmando. Cordis enim malitiosa blasphemia plus satis acerba & maligna est. Et post multa: Omnium verò tutissimè faciemus, si quemadmodum Christus Phariseos tum demum pronuntiavit hujus peccati reos, quando non solum corde conceperunt: sed & ore blasphemias effutiverunt: ita & nos hæc hæreamus non in solius cordis (quippe quod nos latet & soli DEO patet) blasphemiam; sed attendamus etiam os, linguam, verba & scripta hominis: utpote quæ nobis cordis cogitata denuntiant & propalant.*

§. 18. Verum enim verò ut ut sententiæ hæc sibi invicem *ὄπισθεν* contrariæ sint, nihilominus tamen si accuratiorem judicii limam adhibeamus, unicâ, & suo loco adhibitâ distinctione, o-
mni

mnī pugnā sublatā amicisimē easdem conspirare deprehende-
mūs. *Distinguiamus nimirum inter Peccatorem in Sp. S. & inter ejus
manifestationem seu iudicium de eo formandum.*

§. 19. Peccatorem ipsum quod attinet, dicimus, sufficere o-
mnino internam cordis exserationem soli Deo, cordium & re-
rum scrutatori perspectam, id quod non obscure adstrui vide-
tur in Ep. Hebr. X. v. 29. cum Peccator ille dicitur τὸ αἷμα τῆς Δια-
θήκης κοινὸν ἠΓΗΣΑΜΕΝΟΣ *ducens seu Habens* pollutum sangui-
nem testamenti. Lutherus: *Der das Blut des Testaments unrein
Achtet.* Et hāc de re B. Meisnero, D. Hunnio ut & Zvinglio ser-
monem esse dicimus.

§. 20. Aliud verò deinceps est, si *αἰσις* Controversiæ hic po-
natur: An nimirum ad cognoscendum Peccatorem in Spir. S.
sufficiat cordis blasphemia? Ibi omnino cum B. Feurbornio ne-
gativa tenenda. Nam ut ut homo talis consummatissimus jam
sit Peccator in Spir. S. aliis tamen vix ante oralem blasphematio-
nem cum *συνδῆγμα* reliquorum requisitorum, iudicium de eo-
dem formare integrum erit. Et posterius hoc potissimum B. Feur-
bornius urget, uti ex verbis ejus penitus introspectis facilè ap-
paret. Ultramq; igitur Theologorum sententiam si rectè expli-
cetur commodissimè simul stare posse existimamus.

§. 21. Sed non sufficit, ut Peccator ille veritatem abneget, ab-
negatam blasphemet, nisi quoque, quod Tertium requisitum est,
eandem hostiliter impugnet & persequatur. Notam hanc ex-
primit Ep. Hebr. X. v. 29. Ubi Peccatores hi Christum denuo in
membris sc. suis uti dictum supra crucifigere & Filium Dei κατὰ-
πατέρι seu pedibus conculcare dicuntur. Quā phrasi non tan-
tūm blasphemix acerbissimæ, sed truculentissimæ etiam Christi
genuinorumque ejus membrorum persequutiones indicantur.
Peccatores enim (verba sunt B. Feurborn. Diss. Cap. 15. p. 250.) *in Sp.
S. divinam veritatem aperte agnitam, rabiose oppugnant, modis omni-
bus studentes ut illa exstirpetur, ejusdemq; propugnatores e medio tol-
lantur. E. hoc peccatum est etiam κατὰ πατέρι conculcatio, persequu-
tio.* Multis autem modis oppugnatio illa fieri potest, vel enim
illa fit stricto ense, vel calamo & virulentis scriptis, vel ore e-
tiam & Ahitophelicis contra cœtum verè credentium suggestis
Con-

Consiliis. Non enim contenti sunt homines illi, humani jam nihil, præter vultum, ferentes, veritatis abnegatione & blasphemiam, sed omnibus etiam quibus possunt modis, id unice efficiunt, ut veritas & ejus Professores, quocumque etiam id fiat modo, radicatus extirpentur & e medio tollantur.

§. 22. Exemplo nobis sint Pharisei, totidem sacratissimo Salvatoris Nostri capiti insidias struentes Johan. 8. v. 40. totidem in necem ejus, jam cum Sadduceis, jam cum Herodianis conjurantes Matth. 22. v. 16. Marc. 12. v. 13. Luc. 20. v. 20. Quod pestilens suum Consilium, pessimo exemplo, optimo & in universum genus humanum redundante fructu, tandem etiam in actum deduxerunt, dum id, quod ab omni æternitate decreverat Deus, in tempore exsequuti sunt Act. 4. v. 28. Christumque innocentissimum, ne nocentes omnes periremus Joh. 11. v. 50. 51. cruci affixerunt sannis, scommatibus & blasphemis eundem prosciderunt, & nihil non, quod ab hostili & virulento animo proficisci potuit intermiserunt. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joh. 19.

§. 23. Idem nos doceant Judæi, quorum in multos (de omnibus enim id dici non posse, vel ex solo exemplo Saulis conversi patescit) Peccatores in Spiritum S. fuisse nullum prorsus est dubium, ἀντιπαρῆξεν enim & contra proprium Conscientiæ testimonium eosdem Evangelio restitisse probet pro me Lucas qui Act. 6. v. 10. ita illos vi veritatis & eloquio Stephani convictos fuisse docet, ut nihil etiam quod obvertere potuissent invenerint. Illis non sufficiebat utique verbum veritatis blasphemè & malitiosè rejecisse, sed, ne quid malitiæ in illis desiderari posset, innocentissimum Stephanum stridentibus dentibus, magno cum fremitu & plusquam beluinâ crudelitate, ignominiosâ morte affecerunt Act. 7. v. 57. seqq.

§. 24. Ultimum hujus Peccati requisitum, est constans omnium mediorum Salutis abjectio. Rejicere & flocci habere peccatores hosce omnia Salutis suæ media satis jam ex iteratâ Christi crucifixione, ex profanatione & conculcatione tum Filii Dei, tum sanguinis Testamentarii patescit. Cùm v. nullum aliud medium ad salutem perveniendi nobis relictum sit, quam Verbum & sanguis Christi Act. 4. v. 12. Non est in alio aliquo salus. Nec enim

enim

enim aliud nomen sub Cœlo datum hominibus in quō oporteat nos salvos fieri Act. 16. v. 31. Crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu & domus tua. 1. Cor. 1. v. 21. Quia in Dei sapientiā non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes: hæc autem omnia non ridiculè tantum sed blasphemè etiam habeant Peccatores hi, nullum aliud illis ad Salutem relinquitur medium, neq; amplius, quod vel sperare possint, habent, quam φοβεράν ἐκδοχήν κρείσως terribilem iudicii expectationem & ignis ζῆλον qui consumpturus est adversarios.

§. 25. Constantem autem illam & ad finem usque vitæ continuatam rejectionem esse colligimus ex adjunctis hujus peccati inseparabilibus, impœnitentiā finali & irremissibilitate absolutâ, de quibus fusius jam agendum erit.

THES. V.

Inseparabilia hujus Peccati περιεκείμενα sunt 1. Impœnitentia finalis, 2. Irremissibilitas absoluta,

Ἐκθεσις.

§. 1. Explicavimus hætenus ipsam hujus Peccati formam quæ in quatuor illis (plures alii, sed præter necessitatem numerare solent) requisitis, iisq; non aliter nisi simul sumtis consistit, recto jam tramite adjuncta etiam ejus & quidem inseparabilia examinaturi sumus.

§. 2. Primo inter illa loco Impœnitentiam finalem ponendam duximus. Non equidem nos fugit, à multis finalem illam impœnitentiam inter ipsa formalia Peccati hujus requisita collocari, quod quàm benè ab illis fiat cordatioribus judicandum relinquimus. Cœterum, illam nullo modo ipsam formam ingredi posse probamus 1. Quia impœnitentia finalis, si ad genus aliquod sit referendum; pertinet ad durationem; duratio verò est affectio extrinseca; affectio extrinseca, intrinsecè & formaliter rem constituere nequit. Hinc Argumentum

Duratio, utpote affectio extrinseca, intrinsecè rem non constituit. Subsumo jam

H

Impœ-

Impœnitentia finalis est duratio. E Rem intrinsecè
non potest constituere.

Progredior argumentando :

Quodcunq; est de formali Peccati in Sp. S. illud pecca-
tum hoc intrinsecè constituit. Atqui Impœniten-
tia finalis Peccatum illud intrinsecè non consti-
tuit. E. non pertinet ad ejus formale.

§. 3. Si impœnitentia finalis formale hujus Peccati requisi-
tum esset, sequeretur, neminem ante obitum suum Peccatorem
in Spiritum S. esse posse, ubi tamen contrarium verum est. Nam
ut concedamus, uti concedere omnino debemus, judicium no-
strum de Peccatore in Spir. S. non citius, nisi post obitum & fina-
lem in peccato perseverantiam, & tum quidem satis circumspe-
ctè ferendum esse; negamus tamen ipsum hominem, non citius,
quam cum fato suo functus fuerit, Peccatorem in Spir. S. esse. Nul-
la enim hîc est sequela: Cum nos non citius quam post obitum
& finalem perseverantiam, judicium nostrum de tali Peccatore
formare possimus. E. etiam Homo ille, non ante finalem impœ-
nitentiam est Peccator in Sp. S. A nostrâ enim ignorantia ad rei
negationem non valet consequentia.

§. 4. Ne ἀγροφῶς illud adstruere videamur provocamus
ad ipsam Scripturam Matth. 12. v. 24. 31. Marc. 3. v. 22. 29. 30. Ubi
videntes adhuc & coram adstantes Pharisei à Salvatore nostro
crimini s hujus rei dicuntur. Quæro jam, ubinam ibi finalis im-
pœnitentia fuerit? Quod si quis regerere velit, ab exemplo
Christi omniscii & ab intellectu infinito, ad nos & ad intelle-
ctum finitum non esse colligendum. Respondemus hoc nihil of-
ficere thesi nostræ, hoc enim tantummodo inde sequitur, Chri-
sto ut omniscio licuisse judicium suum de hominibus hisce, etiam
non expectatâ finali perseverantiâ infallibiliter proferre; idem
verò nobis non licere, cum eâdem intellectûs virtute non simus
instructi, id quod utraq; manu concedimus. Salva tamen nihi-
lo minus manet thesis nostra, posse etiam viventem adhuc homi-
nem, & extra finalem illam perseverantiam constitutum, peccati
hujus reum esse. Adstipulantur nobis hâc in re non infimi ordi-
nis Theologi. Sic B. Meisnerus in Anthropol. suâ Dec. I. Disput. X.
Quæst.

Quæst. 3. p. 334. *Impœnitentia finalis nequit esse forma hujus Peccati, quia non recipitur cum eo. Omnis autem forma cum suo formato reciprocè dicitur. Quare convenientius statuitur, finalem impœnitentiam, non esse essentielle requisitum aut formam, sed duntaxat accidens commune, attamen inseparabile, quia nunquam datur istud Peccatum, nisi conjunctum cum impœnitentia finali. Ratio quia nunquam remittitur. Si autem pœnitentiam quis ageret, utiq; remitteretur. Et quid opus est prolixâ probatione, cum clarè asseratur Hebr. 6. tales homines redire ad pœnitentiam prorsus esse impossibile, &c. Nec dissentit D. Ægid. Hunnius in Art. de Pecc. p. 87. Finalis, inquit, impœnitentia non habenda est pro differentiâ constituente hoc Peccatum, cum possit reliquis etiam peccatis esse communis: sed pro effectu, qui peccatum hoc ex aliis causis & proprietatibus constitutum sequitur. Confer. B. Feurborn. Dissert. de Pecc. in Sp. S. Cap. 26. p. 361. B. D. Köning, in Theol. Posit. Acroam. de Pecc. in Sp. S. p. 96. §. 163.*

§. 5. Clarum igitur jam esse puto finalem impœnitentiam inter Adjuncta hujus Peccati ponendam. Inseparabile autem hoc Adjunctum à Peccato hoc esse, illiq; semper competere clarum fit ex Heb. 6. v. 4. & 6. ubi inter impossibilia numeratur hominem hunc ad meliorem mentem redire posse: Ἀδύνατον, inquit textus, Peccatores hocce πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν. Quod vulgatus reddit Impossibile est rursus renovari ad pœnitentiam. In Græco verò activum est ἀνακαινίζειν denuo renovare seu ut aliquis renovet, hinc nonnulli (notante B. Gerharo in Comment. ad h. l. pag. 125.) referunt illud ad Doctores Ecclesiæ h. m. *Impossibile est Nobis, quibus docendi & sacramenta administrandi munus incumbit, eos, qui post baptismum prolapsi sunt, renovare ad pœnitentiam; quò accommodant illud quod Paulus v. 1. sibi, ut Doctori, tribuat jacere fundamentum pœnitentiæ. Sed cum Renovatio solius divinæ gratiæ, per pœnitentiam, opus sit; non malè sensum & Correlationem attendentes vulgatus, & hujus vestigia premens Noster ille Lutherus passivè id reddiderunt, quasi τὸ ἀνακαινίζειν pro ἀνακαινίζεσθαι positum esset. Confer. Erasm. Schmid. in Not. ad h. l.*

§. 6. Simplicissimum igitur horum verborum sensum eruit B. Gerhard. L. alleg. dicitq; eum hunc esse: *quod impossibile sit ut*

tales ad veram pœnitentiam adducantur, nimirum quia contemnunt medium, per quod DEus in cordibus hominum pœnitentiam vult operari.

§. 7. Socinus quidem in 1. Epist. Joh. Cap. 5. dicit Hebr. 6. v. 4. impossibilitatem non intelligendam esse simpliciter & absolute, sed ratione habitâ ejus, quod is ipse per se efficere possit, qui talis sit, qualis ibi describatur: non autem ita, ut Deus, vel id non possit, vel omnino nolit, eum per Pœnitentiam renovari.

§. 8. Sed Responsum illi sufficienter est à B. Feurbornio in Dissert. de Pecc. in Sp. S. Cap. 27. p. 372. his verbis: *Apostolus malitiosis istis Apostatis non promittit renovationem eis μετάνοιαν, sed Hebræos ab Apostasiâ deterret, argumento sumpto ab ipsius defectionis justissimâ pœnâ, quæ est impossibilitas renovationis eis μετάνοιαν. Exinde tamen DEus argui nequit alicujus imperfectionis, sicut propterea DEus minimè est imperfectus, quod mentiri fallere &c. non potest.*

§. 9. Licet igitur illa finalis impœnitentia etiam peccatis mortalibus cum ipso Peccato in Spiritum S. communis esse possit, id quod exempla Caini, Saulis, Absolonis, Judæ aliorumque satis demonstrant; non tamen utriq; similiter & eodem modo tribuitur. Illis enim ut *accidens Commune*; huic verò ut *Accidens inseparabile* competit. Hinc vana est collectio illorum, qui ex hoc fundamento sic colligi posse existimant: Si finalis impœnitentia est inseparabile adjunctum Peccati in Sp. S. sequitur omnes finaliter impœnitentes esse Peccatores in Spiritum S. quod tamen est absurdum. Respondemus enim: Ab impœnitentiâ finali sub notione Accidentis Communis, ad illam, quæ sub notione Accidentis inseparabilis spectatur, non procedere consequentiam, & vice versâ.

§. 10. Fuit primum Peccati hujus adjunctum, nempe impœnitentia finalis, quod tamen, si ἀκρηβολογῆν velimus ipsum potius Peccatorem, (cujus propriè est, vel pœnitere, vel in peccato ad finem vitæ persistere) quàm peccatum ipsum concernit; sequitur jam alterum, solum Peccatum respiciens, quod irremissibilitatem absolutam in Thesi nostrâ diximus.

§. II. Ut

§. 11. Ut autem res omniseo melius constare possit, distinguimus primo omnium inter *irremissionem* & *irremissibilitatem*; seu inter Peccatum quod irremissum manet, & quod est irremissibile. Differunt hæc duo inter se ut actus & potentia; peccatum enim irremissum, veniæ actum; irremissibile autem ipsam etiam condonationis potentiam removet, unde notanter *absolutam* irremissibilitatem dicimus.

§. 12. Quod verò irremissibilitas hæc non sit de formali Peccati hujus ratione, aut intrinsecè illud constituat vide multis probantem B. D. Feurborn. Dissert. suæ Cap. 27. p. 393. nobis unicum hanc in rem argumentum produxisse sufficiat, quod sic habet:

Reatus, ex peccato plenariè & quoad omnia sua requisita essentialia commissio, contractus, non est de Peccato sed circa peccatum. Atqui irremissibilitas est reatus talis. E.

Major per se certa est; quia Reatus habet se instar effectûs, ex peccato, seu causâ meritoriâ oriundi. Jam uti effectus non est ipsa causa; ita nec reatus & obligatio Peccati est ipsum Peccatum. Minor itidem clara est, irremissibilitas enim nihil aliud dicit, quàm reatum & obligationem certissimam ad sustinendas pœnas: *Cum enim dico* (verè a sunt B. Feurbornii l. supr. all. p. 396.) *Peccatori Peccatum est irremissibile, sensus est, Peccator ob suum peccatum non potest habere remissionem: sed est reus æternæ condemnationis, seu est obligatus & obstrictus ad subeundam æternam mortem.*

§. 13. Cùm igitur irremissibilitas illa, uti dictum, non sit de formâ hujus peccati, necessariò inter adjuncta ejusdem ponenda erit. Esse autem adjunctum hoc Peccato in Spir. S. inseparabile ex evidentibus Scripturæ Locis, quotquot etiam de Peccato hoc agunt, clarum esse existimo: semper enim, ubi tractatio hujus peccati instituitur, simul etiam durissimæ hujus ad æternam mortem obligationis mentio injicitur, & hæc illi tribuitur sic enim Christus Matth. 12. v. 31. Spiritûs Blasphemia *ὅτι ἂν φε- θήσεται* non remittetur hominibus & v. 32. idem illud durioribus adhuc conditionibus repetit: *Quicumq; dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit verbum*

Contra Spiritum S., non remittetur ei neq; in hoc seculo, neq; in futuro.
Quid autem Christus *ῥεῖσθαι* hac sibi velit, nemo nobis melius
quàm Ev. Marcus explicaverit qui Cap. 3. v. 29. sensum Salvatoris
sic exprimit: Qui blasphemaverit in Spiritum S. non habebit
remissionem in æternum, sed reus erit æterni judicii. Paria ha-
bet Epistola ad Hebræos X. v. 26. Voluntariè peccantibus no-
bis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro
peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio judicii, &
ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Conf. Luc. 12.
v. 10. Ebr. 6. v. 4. 5. 6. & 1. Joh. 5. v. 16.

§. 14. Bellarminus quidem L. I. de V. D. Cap. XVII. L. II. de
Pœnit. C. XVI. sequutus Gregorium de Valentia Tom. 3. Com-
mentar. Theolog. Disp. 1. Quæst. 14. Puncto 3. Et Tom. 2. Disp. 8.
Quæst. 3. puncto 4. contra omnem Christi & Apostolorum men-
tem atq; intentionem, irremissibilitatem hanc ita emollire an-
nititur, ut *peccatum hoc non absolutè & simpliciter irremissibile di-
cat; sed quia ordinariè & ut plurimum non curetur*. Pollicem Car-
dinali hâc in re premit Socinus qui in Comment. in 1. Joh. V. pec-
catum hoc *non absolutè, sed absente tantùm pœnitentiâ irremissibile
dicit*. Eiusdem sententiæ fuisse videtur Cardinalis Hugo, qui
in recensione octo causarum, cur peccatum hoc, (non secundum
Scripturæ, sed suam mentem) irremissibile sit, inter alias quoque
quarto loco illam dat: *Quia paucis & raro remittitur*. Vid. B.
Meisn. Anthropol. S. Dec. I. Disp. X. Quæst. 3. pag. 334. Secundum hos
igitur Blasphemia Spiritus, non tantùm non potentiam remis-
sionis sed ne actum quidem simpliciter & semper excludit. Hinc
etiam volunt τὸ ἀδύνατον poni ἀντὶ τῆς δυσκόλης impossibile pro
difficili, quod Scripturæ interdum familiare esse patet ex
Matth. 19. ubi τὸ ἀδύνατον in v. 26. ponitur pro δυσκόλῳ in v. 23.

§. 15. Verum enim vero, nos, rejectis hisce, & si quæ alia ἀ-
γράφως & ἀντηγάφως proferuntur, sententiis, Peccatum hoc
simpliciter & absolutè i. e. tam ratione potentia quam ratione
actûs irremissibile pronunciamus. Quod ipsum, ne dicere po-
tius, quàm probare videamur, ejusmodi ex Matth. 12. v. 31. & 32.
instituiamus collectionem:

In quâ notione CHRISTUS vocabulum ἀφεθῆσεται remittetur in uno distinctionis membro adhibuit, in eâdem etiam vocibus ὡς ἀφεθῆσεται, non remittetur, in altero distinctionis membro usus est. Subsumo jam: Atqui Christus vocabulum ἀφεθῆσεται in priori distinctionis membro (ad quod tum peccata morum omnia, tum Peccatum etiam in Filium Hominis pertinent) non tantummodo sub actûs, sed potissimum etiam potentiæ notione adhibuit. E etiam in altero distinctionis membro vocibus ὡς ἀφεθῆσεται non remittetur eundem in modum usus est.

Major suâ luce radiat; gemina enim hîc & distincta è regione sibi invicem opponuntur membra, ab unâ quidem parte Peccatum morum & peccatum in Filium Hominis, ab alterâ autem Blasphemia in Spiritum S.; de utroq; τὸ Remitti, de uno tamen affirmativè, de altero negativè prædicatur: necessum igitur jam est, ut verbum illud non in priori membro pro actû, in posteriori verò pro potentiâ, & viceversâ, sed in utroque similiter aut pro actû aut pro potentiâ, aut pro utroque simul supponat.

Minorem probo: quia verbum prioris membri ἀφεθῆσεται remittetur, si de actû explicari deberet, vix sibi per omnia dictum Christi constare posset; nam ut ut multa morum peccata, nec non peccatum in Filium Hominis interdum actû ipso remittantur, semper tamen illa remitti, negant exempla illorum, qui in Peccatis mortalibus, aut in desperatione diem suum ob-eunt, adeoq; ob impœnitentiam illam finalem à veniâ excluduntur. Quod si igitur incommoda, illa de actû ipso exposito, commodiorem de remissionis potentiâ, incluso tamen, non excluso ipso actû, substituamus necessum est, ut sensus verborum Christi ille sit: Omnia morum peccata possunt remitti, & sæpissimè, non tamen semper actû ipso remittuntur. Ubi, quod de morum Peccatis dicimus, de Peccato etiam in Filium hominis hîc simul intellectum volumus.

§. 16. Jam, si ex opposito in alterius membri verba inquiramus,

mus,

nus, similiter ibidem voces *ὅτι ἀφεθήσεται*, non remittetur, scil.
 Blasphemia Spiritus, de simplici impotentia & irremissibilitate
 absolutâ explicanda erunt. Adstipulatur nobis per omnia
 Magni Nominis Theologus B. Meisnerus in Anthrop. S. Dec. I.
 Disp. X. de Pecc. in Spir. S. Quæst. 3. p. 332. cujus verba apponere o-
 peræ pretium videtur, sic autem Ille: *Dicit Salvator, quod omnia
 peccata remittantur, hoc autem nec in presenti, nec in futuro seculo
 dimittatur; unde colligunt Theologi, blasphemiam Spiritus esse irre-
 missibilem. Notandum autem, quod Christus quidem adhibeat, verba
 actum significantia, ipsam tamen remittendi δύναμιν intelligat. Dicit
 enim, omnia peccata remittuntur; hoc autem non remittetur. Si hic
 ipsum remissionis actum juxta literam intellexeris, sequetur omnia pec-
 cata actu remitti, quod falsum. Sola igitur potentia remittendi nota-
 tur, ut sensus sit: Omnia peccata remitti possunt, vel quisvis alius pec-
 cator remissionem consequi potest, & pœnitere: solus autem peccator
 in Spir. S. non potest pœnitere, nec remissionem consequi &c. Idem
 prolixè probantem vide B. Feur. in Dissert. suâ Cap. 27. pag. 369.
 seqq. Conf. D. König, Theol. Posit. Acroam. de Pecc. in Spir. S.
 §. 162. num. (2.)*

§. 17. Ejusdem sententiæ (ne novitatis quis jure nos incusa-
 re valeat) jam olim fuit Ambrosius L. 2. de Pœnit. Cap. 4. Athana-
 sius in Disp. contra Arium T. I. p. 108. & T. I. p. 376. quorum verba
 formalia si quis desiderat, adeat, nî grave est, B. Feurborn. L. cit.
 p. 368. & 372. unde illa peti poterunt.

§. 18. Sed quid de Consensu Auctorum laboramus, cum ele-
 gantissima Scripturarum harmonia ultro suppetias hic nobis
 ferre non recuset? Conferamus, quæso, cum Matthæo nostro
 Evangelistam Marcum Cap. 3. v. 29. qui sic de Peccatore in Sp. S.
ὅτι ἔχει ἀφεθῆναι εἰς τὸν αἰῶνα, ἀλλ' ἐνοχός ἐστιν αἰῶνις κρίσεως. Qui
 blasphemaverit in Sp. S. non habebit remissionem in æternum, sed
 reus erit æterni judicii. Conferamus cum utroque Epistol. ad E-
 bræos Cap. X. v. 27. 28. Voluntariè peccantibus nobis post acce-
 ptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro Peccatis hostia,
 terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis amulatio,
 quæ consumptura est adversarios. Quodnam, quæso, clarius,
 quodnam augustius, quodnam omni exceptione majus aliud te-
 stimo-

Simonium pro irremissibilitate peccati hujus absolutâ in me-
dium proferri posset? Denuo igitur pro confirmandâ Thesi
nostrâ sic argumentamur:

Cuicunq; Peccato nulla amplius est relicta hostia, sed
tremenda potius aeterni judicii, ignis ἀσβέστη &
pœnarum infernalium expectatio, illud ipsum
ἀπλῶς & simpliciter irremissibile habendum est.
Atqui de hoc Peccato in Spir.S. verum est prius, uti
ex dictis patet. E. & posterius.

§. 19. Quod igitur Bellarmini & Socinianas corruptelas atti-
net illas locum hîc invenire negamus: locum enim quem pro
thesi suâ probandâ ex Matth. 19. v. 26. adducunt, nullo modo
cum hoc nostro conferre possunt; partim, cum Christus ipse in
versu 23. τὸ ἀδύνατον per δύσκολον explicârit, qualis interpreta-
tionis nec vola nec vestigium hîc apparet; partim quia genui-
nus hujus loci sensus ex perpetuo locorum parallelismo abundè
satis erui potest, & erutus est.

§. 20. Sed obstare nobis adhuc videtur, quorundam, Nostra-
tium etiam Theologorum opinio, qui per τὸ non remitti actum po-
tius quàm potentiam remissionis Peccato huic denegari ajunt.
Vid. B. Hutterus LL. Theol. Art. X. p. 370. fac. I. D. Brochmand.
LL. Theol. Cap. VIII. Quæst. XII. pag. 100. D. Waltherus Harmon.
Bibl. Ad Matth. Cap. XII. v. 32. pag. 837. Alii & c.

§. 21. Verùm enim vero, Respondemus, Theologos Nostra-
tes (quando τὸ irremissibile de actu potius remissionis denega-
to, quàm de exclusionepotentia ad veniam recipiendam ex-
ponere malunt) Peccatum hoc non *solitariè*, sed *comparativè*, non
absolutè, sed *conditionaliter* considerare. *Comparativè* illud confi-
derant, cum quarunt, an natura hujus peccati gravitate suâ i-
psum meritum Christi transcendat? Id quod illi, & quidem re-
ctissimè negant. *Conditionaliter* & hypotheticè illud confide-
rant, cum adjecto illo, si possibile esset, Peccatorem talem res-
piscere; ubi nullum est dubium, quod, si possibile esset condi-
tionem illam impleri, etiam possibilem fore gratiam. Cum verò
nos (1.) non insufficientiam meriti Christi pro causâ irremissibi-

litatis ponamus, uti patebit deinceps, sed aperto potius ore profiteamur divinissimum illud *ἀνθρώπων* multis modis efficaciam sua peccati hujus gravitatem, dummodo id a peccatore in Spir. S. apprehendi posset, anteire. (2) Peccatum hoc ex conditione quadam impossibili (resipiscencia scil. ejusmodi hominis) aestimare nolimus, nihil sane illorum auctoritates nobis officere; sed potius si penitius paulo introspiciantur multum nobis prodesse poterunt: Omnes enim illi junctis viribus ex ipso Scripturae fundamento, remissionem omnem, contra Bellarminum, quosdam Scholasticos, & infaustum illum Faustum Socinum simpliciter huic peccato denegant, uti diligenti Loc. supr. citat. collatori ad oculum patebit.

§. 22. Sed non sufficit Irremissibilitatem hujus Peccati exposuisse, nisi quoque causam hujus rei breviter indicemus. Hanc igitur accuratius paulo indagaturi, *Aliam ex parte hominis, aliam ex parte ipsius peccati* inveniemus.

§. 23. Priorem illam, quae ex parte hominis est, quod attinet, dicimus eam esse *Finalem Impenitentiam*, non, quatenus ipsa communis etiam esse potest aliis peccatis mortalibus, tum enim accuratè loquendo (cum se ad peccata illa ceu accidens commune habeat & separari possit) *irremissionis* potius quam *irremissibilitatis* causa dicitur; sed quatenus illa sub peculiari modo tanquam adjunctum inseparabile Peccato in Spiritum S. tribuitur, uti supra dictum fuit. Confer. Hebr. 6. v. 4. 6. Cum enim ex iustissimo Dei judicio Peccator ejusmodi retracta reatrice, protectrice & conservatrice illa Dei dextra, non suae tantum voluntati, sed ipsi etiam potestati Sathanicae expositus inquatur, non potest non lapsum ejus horrendum induratio, indurationem finalis impenitentia, finalem impenitentiam irremissibilitatis absoluta, irremissibilitatem absolutam mors illa sine morte, aeterna scil. damnatio, concatenato & indivulso nexu excipere. Conf. Marc. 16. v. 16. Joh. 3. v. 18. & 36. *Ea scil. peccati hujus natura est*, dicente B. Meisnero Anthrop. S. Dec. I. Disp. X. Quaest. 2. p. 316. *ut Conjunctam semper habeat indurationem & excaecationem cordis atq; sic etiam abjectionem omnium mediorum Salutis, & perpetuam erga Spiritum S. resistantiam, ob quam impossibile est, ut tales homines*
con-

convertantur & ad pœnitentiam redeant; cùm DEus invitis & repugnantibus suam non obtrudat gratiam.

§. 24. Altera, ex parte ipsius Peccati, causa est *Συζυγία* & concursus omnium essentialium hujus Peccati requisitorum, & uno verbo, ipsa Peccati hujus Quidditas quæ consistit inter alia etiam in constanti & malitiosâ omnium Salutis mediorum rejectione Hebr. X. v. 29. Licet enim nullum sit tam grande crimen, quod inexhaustum illum divinæ gratiæ, non puteum, sed fontem, magnitudine & Colluvie suâ superare valeat Rom. 5. v. 20. Es. I. v. 18. Nullum tam atrox & infandum delictum, pro quo ipse Filius Dei in carne illâ assumptâ passione & morte suâ non abundè satisfecerit: Pro omnibus enim hominum peccatis, adeoque etiam pro Peccato in Spir. S. mortuus est Salvator Noster 1. Joh. I. v. 7. Tit. 2. v. 14. 1. Tim. 4. v. 10. Hebr. 2. v. 9. Imò & illos qui ipsum abnegant, & damnantur verè mercatus est suo sanguine 1. Petr. 1. v. 19. 2. Petr. 2. v. 1. tales verò sunt Peccatores in Spir. S. Matth. 12. hinc & ipsi cum Peccatis suis sub ambitu Satisfactionis Dominicæ includuntur. Nihilominus tamen cùm ad gratuitam Peccatorum remissionem, Fides quoque & salutarium gratiæ universalis, tum beneficiorum Christi ex parte hominis applicatio requiratur Luc. 18. v. 13. Joh 3. v. 16. Marc. 16. v. 16. Luc. 7. v. 5. Galath. 2. v. 20. 1. Tim. 1. v. 15. 16. Fides verò sit opus Divinum quod cordibus nostris per officium Spiritus S. mediantibus verbo & Sacramentis ingeneretur & confirmetur 1. Cor. 12. v. 3. Joh. 6. v. 29. Rom. 10. v. 17. Marc. 16. v. 16. 1. Petr. 3. v. 21. hæc autem omnia Peccator in Spir. S. susq; deq; habeat, Spiritui S. maledicat, Christum ejusque meritum pedibus conculet, adeoque; dona illa cœlestia, salutari applicatione sua facere nolit, hinc non potest non ex constanti illâ & malitiosâ omnium salutis mediorum blasphemia & finali rejectione, tanquam ex venenatō fonte rivus ille pestilentissimus, æterna scil. peccati retentio & irremissibilitas absoluta promanare. Videmus igitur jam (liceat mihi hîc verba B. Feurbornii apponere) quod *Blasphemia Spiritus, quatenus juxta S. literas accipitur, sit & Adjunctivè & Formaliter irremissibilis & incurabilis. Adjunctivè quidem propter adjunctam impœnitentiam & amissam perseverantem:*

Formaliter autem propter causam suam formalem. Nā & igitur hoc Peccati in Spir. S. videlicet irremissibilitas, resultat partim ex adjuncto hujus Peccati, partim ex ipsius & interna & formali, seu ex ipsius naturā & indole pessimā &c.

§. 25. Expositis jam genuinis hujus irremissibilitatis causis, facile licebit adulterinas Bellarmini, L. 1. de Verbo Dei cap. 17. *Hominum scil. Spiritum S. blasphemantium Ut plurimum intermissam conversionem* (ubi ut plurimum intermitti dicit Cardinalis, quod tamen nunquam dari in hoc peccato potest) *Reformatorum de Particularitate gratiæ & insufficientiā meriti Christi; Photinianorum, qui docent Peccata petulanter admissa non habere sacrificium, nec Deum velle Peccata voluntariè designata ignoscere; Aliorumque quales etiam illi fuerint erroneas in medium adductas rationes agnoscere, illa, uti par est, cane pejus & angue fugere & ipso Spiritu S. prævio damnare.* Nos, uti non ignoramus, satis adhuc amplam nobis hinc ad discurrendum superesse materiam, ita nostri memores instituti (Disputationem enim, non integrum Tractatum meditati sumus) summa tantum rerum capita attigimus, prolixiorum autem de Falsis illis causis informationem, solidamque earundem refutationem qui desiderat, pleno id copiæ cornu invenire poterit apud B. Feurborn. in Dissertatione sæpius nobis, & merito quidem suo, laudatā Cap. 29. p. 416. seqq. 30. p. 418. seqq. 31. 32. 33. 34. &c.

CAP. IV. ET ULTIMUM.

Quæstiones nonnullas, ut & Confectaria quædam ad meliorem hujus Doctrinæ elucidationem pertinentes proponit.

QVÆST. I.

An ad Constituendum Peccatorem in Spiritum S. abnegatio Evangelii totalis requiratur; an vero partialis tantum sufficiat?

In recensione Essentialium Peccati in Spir. S. requisitorum Abnegationis etiam Evangelii mentionem fecimus, ubi dubium non-

nonnemini illud remansisse videtur, *Partialisne*, an verò *Totalis* abnegatio hæc esse debeat. Resp. Distinguendo inter *Totum Doctrinæ* & *Totam Doctrinam* Evangelicam. Totum Doctrinæ, seu ipsum salutaris Evangelii fundamentum, quale est Christi vel Persona, vel Satisfactio, vel meritum &c. semper Peccator in Spir. S. satis in suâ conscientiâ convictus plenè liberâ & non impedita voluntate abneget necessum est; licet non semper ipso actu totam Doctrinam Evangelicam quoad omnes ejus partes ejuret & profanam habeat. Hinc est quod Theologi abnegationem hanc jam *Partialem*, jam verò prolapsam *Totalem* seu à *Toto*, & utrumque quidem rectè dicant. *Partialem* quidem, in respectu ad *Universum Evangelium* quoad omnes ejus partes; *Totalem* verò, in respectu ad *Totum* seu ipsum fundamentum Doctrinæ Evangelicæ. Posterior semper in Peccatore ejusmodi esse debet; Prior non item. Confer. D. Hutterus LL. CC. Art. X. Cap. 2. Memb. 2. p. 368. Col. 2. B. Meisnerus Anthrop. S. Decad. I. Disput. X. Quæst. 2. §. 21. pag. 322. D. Balduinum in Comment. ad Hebr. 6. Disp. VII. p. 1589. Col. 1. Qui solidissimè *δυναμίας* illam *Totius*, à *Toto*, in *Totum* explicavit. Videfis quoque D. Köning. in Theol. Posit. Acroam. de Pecc. in Sp. S. p. 94. §. 156. &c.

QVÆST. II.

Annon ex absolutâ Peccati in Spir. S. irremissibilitate vi consequentiæ profuat illud: Christum non sufficiens pro omnibus hominum peccatis
λύτρον exhibuisse?

Resp. Minimè gentium. Sufficientissimam Christi passionem, pro omnibus omnium omnino hominum Peccatis esse, jam supra in recensione genuinarum irremissibilitatis causarum abunde satis ex unanimi Scripturarum Testimonio probatum fuit. Quæstionem igitur quod attinet, Scholastici hîc distinguere solent ex L. 3. Sent. Lombard. Dist. 20. lit. C. inter Passionis Dominicæ *sufficientiam* & *efficientiam*. Ita ut per *sufficientiam* meriti, ipsum actum redemptionis, & acquisitionem Salutis; per *efficientiam* verò applicationem meriti, & collationem Salutis
 I 3 acqui-

acquisitæ intelligant, sic, ut interprete B. Meisnero Anthropol. S. Decad. II. de Univ. Mer. Chr. & Voc. Hom. ad Sal. Disput. XIII. Quæst. I. pag. 73. sensus illorum sit: *Christum quidem homines universos & singulos actu ipso juxta Consilium DEI Patris redemisse, & vitam reparasse: quia verò plerique in impœnitentiâ perseverant, hinc fieri, ut efficaciam meriti non omnes persentiscant, & salventur, sed tantum electi.* Sed, licet hæc Scholasticorum sententia, si rectè & secundum mentem illorum explicetur, nihil secum trahat incommodi; quippe quæ culpam insufficientiæ, non in ipso merito, aut in quodam absoluto Dei beneplacito, sed unice in hominum incredulitate collocat: nihilominus tamen cum mirè sibi distinctiõnis hujus depravatione & sinistra explicatiõne placeant Reformati, ita ut hæc ipsa glaucoma potius hominibus obicere, quàm mentem suam candidè explicare mālint, distinguimus nos cum Nostratibus inter *meritum Christi in se, & inter salutarem ejusdem applicationem.* Dicimus igitur meritum Christi, si ve id Salvandorum si ve Reprobatorum respectu consideretur, semper *in se* sufficientissimum Peccatorum *ἰλαστικόν* esse I. Joh. I. v. 7. quod verò non omnibus æquè hominibus ejusdem efficacia & fructus, in salutari peccatorum remissione & gratuitâ vitæ æternæ collatione actu ipso applicetur, illud non merito Christi, sed unice & solitariè hominum incredulorum & malitiosorum vitio tribuendum. Rom. 2. v. 5. Joh. 3. v. 36. qui verâ fide aquas illas in vitam æternam scaturientes Joh. 4. v. 14. haurire, & fontem, omnibus communem, fide suam facere nolunt. Jam, si in particulari causam irremissibilitatis peccati in Spir. S., & æternam hominum hoc peccato infectorum damnationem indagare velimus, nulla planè in meritum Christi culpa redundare, multo minùs id insufficientiæ cujusdam argui poterit. Sicut enim nemo antidotum in se nobilissimum, antequam vim ejusdem in pellendo veneno experiri voluit, insufficientiæ, aut medicum cujus Consiliũ & opem nunquam imploravit imprudentiæ cujusdam jure argueret; ita quoque Peccator in Spir. S. culpam damnationis non Christo aut sacratissimo ejusdem merito, cujus nec opem sollicitare nec ultro oblatam medicinam sibi applicare voluit, imputare ullo modo potest. Ut igitur certum

tum

tum est, ipsis etiam κατ' ἐξοχήν in Spir. S. peccatoribus, si possibile esset illos ad meliorem mentem redire, veniæ januam in sanguine & vulneribus JESU nostri, nullo modo præclusam fore; ita quoque indubitato verum est, quod quamdiu homo talis in impenitentiâ suâ & constanti mediocri Salutis rejectione permanet (permanet autem usque ad extremum vitæ halitum) nullam sibi veniam aut peccati sui impunitatem promittere possit. Hinc rectissimè Ambrosius Serm. 8. in Psal. 115. *Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Si quis autem non credit in Christum generali beneficio: ipse se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat.* Confer hæc de re elegantissimè differentem, geminoq; illam simili, uno ab edicto Cyri Esdr. 1. v. 3. & 4. 2. Paralip. 36. v. 22. altero ab Annis Jubilæis Lev. 25. v. 40. petito, illustrantem B. Meisnerum Anthropol. Dec. II. Disp. 13. Quæst. 1. p. 74.

QVÆST. III.

An quis juxta mentem Scripturæ, profligatissimæ vitæ Peccatores, fulmine Peccati in Spir. S. commisi percutere possit?

Blasphemiam hanc Spiritûs, non *Mores* sed *Doctrinam Evangelicam* pro Objecto suo adæquato agnoscere, jam supra probatum dedimus. Unde facilè jam constare arbitror quid de proposito erotemate sentiendum? Non autem hic quaeritur: An etiam Peccator in Spir. S. simul vitam execrabilem vivere, & omnigenis se morum Peccatis contaminare queat? Nullum enim est dubium, quin & peccatum in Spir. S. & reliqua morum delicta, nullo modo sese invicem excludant, sed sicut infelix lolium & steriles avenæ, in uno eodemque agro simul feliciter factis, imò, infeliciter dicendum erat, provenire possint; sed in eodem controversiæ cardo vertitur: An profligatissimæ etiam vitæ Peccator, à solis morum Peccatis, Peccator in Spir. S. denominandus sit? Negativam hîc tenendam esse Constat (1.) Ex apertissimo, Peccati hujus & enormium morum delictorû, tum à Chri-

Chri-

Christo ipso Matth. 12. v. 31. tum ab electo ejus organo D. Paulo Ebr. X. v. 28. 29. facto discrimine. Toto enim Cœlo duo hæc à se invicem distant, uti jam supra abunde satis probatum fuit. (2) ex periculo desperationis: quod si enim homo ejusmodi audiatur, se Peccati in Spiritum S. reum agi, cognitumq; insuper habeat, Peccatum hoc irremissibile tam in hoc quàm in futuro seculo (hoc est in æternum) à Scripturâ pronunciarum, quid, quæso, aliud ille quàm desperationem meditari poterit? Vitiolissimè igitur (Hutteri illud, quàm meis verbis dicere malo) *peccatum in Spir. S. definiunt, qui vehementiore aliquo zelo abrepti, interdum pro concionibus ad populum, graviora illa scelera atq; flagitia, quæ publicè grassantur usq; adeo amplificare & exaggerare solent, ut incensum numerumq; peccati in Spir. S. ea referre minimè dubitent. Quorum sanè zelus, etsi ex eo laudem meretur, quod studium pœnitentiæ in Auditoribus accendere studet: respectu tamen periculi, quod aliquando in conscientis infirmiorum inde oboriri potest, reprehensionem certè gravissimam incurrit: ita ut talis licentia in verbi præconibus tolerari neq; possit neq; debeat & c.*

QVÆST. IV.

An, & quando de Peccatore in Spir. S. judicandum?

Uti de Peccato in Spir. S. præviâ Scriptura judicare nobis integrum est; ita non statim de hoc vel illo individuo, peccati hujus reo, certò & à priori pronunciarum licet. Multas hujus rei causas vide apud B. Feurborn. Dissert. de Pecc. in Spir. S. Cap. 23. p. 313. & D. Hutter. LL. CC. Art. X. pag. 369. quas hîc adscribere supersedeo. Dux tamen, omnium instar nobis esse poterunt. 1. Quia nos dono discretionis, Antiquæ olim Ecclesiæ ex speciali Dei indultu concessio, jam sumus destituti; 2. Quia Christiana caritas de unoquoque, dum spirat ille, benè nos sperare jubet. Non igitur nisi à posteriori, & tum quidem cautè judicium nostrum de homine tali formandum monent Theologi. Rectissimè enim Augustinus Tom. 10. Serm. II. de Verb. Domin. *Ista, inquit, impœnitentia, vel cor impœnitens, quamdiu quisq; in hac carne vivit, non potest*

potest judicari. De nullo enim desperandum est, quamdiu ad poenitentiam patientia DEI adducit. Paganus est hodie: unde scis, utrum sit futurus crastino Christianus? Judeus infidelis est hodie: quid se cras credit in Christo &c. Nolite ergo (concludit tandem S. Pater) ante tempus judicare. Caveamus igitur certi quid, de homine quodam ante obitum ejusdem statuere. Caveamus etiam post obitum nè temerè, sed bene consideratâ omnium Essentialium Peccati hujus requisitorum συζογία iudicium nostrum, idq; præviâ in omnibus Scripturâ formemus.

QVÆST. V.

An pro Peccatore in Spiritum S. orandum?

Inter alia Peccati in Spir. S. adjuncta exclusionem etiam à precibus numerant Theologi. Vid. B. Feurborn. Dissert. de Pecc. in Spir. S. Cap. 24. p. 317. B. Meisn. Anthrop. S. Decad. I. Disput. X. Quæst. 3. p. 335. D. Köning. Theol. Posit. Acroam. de Pecc. in Spir. S. p. 95. §. 162. &c. Habent autem hâc in re prævium D. Johannem qui in 1. Ep. V. v. 16. De Peccato κατ' ἐξοχήν ad mortem, seu de Peccato in Spir. S. verba faciens, non vult fideles pro Blasphemis hisce orare; ne scil. cum irremissibile hoc peccatum sit, in fumum abeant preces super hâc re ad Deum fusæ. Hinc etiam rectissimè B. Hunnius in Comment. super 1. Joh. V. contra Alios dubiè hanc rem decidentem rotunde statuit, ex vi & tenore Verborum Apostolicorum non esse orandum pro Peccatore in Spir. S. quocum paria facit B. Hutterus LL. CC. Art. X. p. 370. inquiens: *De hoc Peccato (loquitur autem de Spiritûs blasphemiâ) si quis orandum esse censeret, is tam absurdus foret ac si statueret, orandum esse, ut DEUS aliquem sine Christo, aut potius contra illum: item sine verâ poenitentiâ ac conversione ad Christum, & sine mediis ad hunc finem à DEO ipso ordinatis, convertere & salvare velit: id quod non modo absolum, sed & impium foret.* Notandum autem, quod tum D. Johannes tum Theologi modo laudati, talem hîc Peccatorem in Spir. S. intelligant de quo nobis certò constet, eum criminis hu-

K

jus

jus reum teneri, pro tali igitur nullo modo, vi interdicti Apo-
 stolici, Sancti Dei homines & fideles omnes intercedere debent.
 Verum enim vero, cum (uti jam sæpius monitum) nostro hoc
 tempore, speciale hoc discretionis donum, crescenti olim Ec-
 clesiæ à Spiritu S. concessum, desierit, nec, uti in Quæst. proximè
 præcedente dictum fuit, in proclivi nobis sit ante obitum & à
 priori de certo quodam individuo judicare; non abs re Magni
 Nominis Theologi, moti dicto Apostolico 1. Tim. 2. v. 1. *Ad
 hortor ante omnia, ut fiant deprecationes, preces, interpellationes, gra-
 tiarum actiones pro omnibus hominibus, satius esse statuunt, in du-
 bio ejusmodi casu omnes etiam Apostatas, oratione nostrâ Deo
 commendare, quàm unicum, præcipiti & erroneo judicio no-
 stro, à communibus precibus excludere.* Notanter hanc in
 rem B. Meisn. Anthrop. S. Decad. I. Disp. X. Quæst. 3. p. 336. *In pri-
 mitivâ quidem (verba ejus habent) Ecclesiâ viguit dnum Διακρησιως
 πνευματων 1. Cor. 12. v. 10. quòd cum jam cesset, idcirco preces nostras
 non suspendamus, sed iis Persecutores etiam & blasphemos Apostatas
 comprehendamus, nisi certo & indubitanter de malitiosa illorum indu-
 ratione constet.* Illud autem postremo loco notari meretur, di-
 scrimen hîc tenendum inter *Orationem absolutam & Conditiona-
 tam*; sub hâc posteriori Apostatæ omnes continentur, ut scil.
 pro iisdem non simpliciter, sed additâ illâ conditione ut Deus
 illis propitius esse velit si nimirum nondum Peccatum in Spi-
 ritum S. commiserint, apud Deum precibus nostris interceda-
 mus. Confer. hâc de re B. Feurborn. in Dissert. sæpius laudatâ
 Cap. 24. pag. 317. seqq.

QUÆST. VI. ET ULTIMA.

*An Bellarminus ex Ebr. X. v. 27. ex Vocibus illis
 πνευρς ζηλ, Ens illud rationis, seu Purgatorium
 Pontificiorum probare possit?*

Bellarminus Lib. I. de Purg. Cap. 14. Resp. ad 2. Arg. ex voci-
 bus illis πνευρς ζηλ, quas (judice Erasmo Schmidio, Philolo-
 go in Almâ hac Wittebergensium Clarissimo) inconvenienter

Vetus

Vetus Interpres per *ignis emulationem*, convenientius Erasmus, per *ignis vehementiam*, optimè omnium Magnus ille Noster Lutherus per Vocem Germ. *Seureiffer* reddidit; purgatorium suum exsculpere annititur. *Si enim* (argumentatur Cardinalis) *ignis iste significaret solum ignem gebennæ, sequeretur omnes, qui post baptismum peccant, necessario damnandos, vel certè Paulum ineptè loqui.* Sed 1. Sequela hæc Bellarminiana falsissimæ innititur hypothese, ac si per Peccatum hoc ἐκείνου, enorme quodvis post baptismatis lavacrum commissum crimen intelligendum esset, quam tamen sententiam sui ipse immemor refutat Bellarminus Lib. I. de V. D. Cap. 17. quod de Epistolâ ad Hebræos agit, ubi in Responsione ad Arg. V. quod contra auctoritatem Epistolæ hujus proferri solet, conciliaturus dictum hoc: *impossibile est eos, qui semel sunt illuminati &c. cum suavissimâ Christi Matth. II. v. 28. ad pœnitentiam factâ invitatione, sic inquit: Non magis hic locus pugnat cum illo: Venite ad me omnes, quàm pugnant verba Domini Matth. 12. ubi dicit. Blasphemiam in Spiritum S. non remitti, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro. Apostolus enim non de quocung; Peccatore loquitur, sed de eo, qui peccat in Spir. S. i. e. qui voluntariè oppugnat cognitâ, & exploratâ veritatem.* II. Si κατ' ἀνθρώπων & ex ipsa thesi Pontificiâ disputare velimus, nullo modo hæc Collectio Bellarmini constare sibi potest. 1. Quia juxta assertionem illorum ignis Purgatorius, quod & etymon nominis insinuat, purgat, non consumit Peccatores, vitia hominum, non homines ipsos devorat. 2. Quia, similiter juxta assertionem Pontificiam, animæ in Purgatorio æstuantes, non expectant terribile judicium, sed potius lætam liberationem. Confer. B. Gerhard. Comment. ad h. l. pag. 376.

Confectaria quedam.

I. De Peccatore in Spiritum S. non nisi ex omnibus requisitis conjunctim sumptis, judicium ferendum.

II. Peccatores in Sp. S. rarò Laici & rudiores; sed ple-

ple-

plerumq; Viri ingenio & doctrinâ pollentes de-
prehenduntur.

III. Renati non sunt iidem cum Electis. Illi n. &
totaliter & finaliter; Hi totaliter quidem, non verò
finaliter ex gratiâ DEI excidere possunt.

IV. Omni quidem studio & industriâ quivis ab e-
normibus & cum Lege Divinâ pugnantibus pecca-
tis sibi caveat; cùm non constet illi an etiam DEUS
pœnitentiæ tempus gratiosè illi concessurus sit, nec
ne: nemo tamen ob maxima etiam morum pecca-
ta desperet, veniæ januam sibi præclusam, aut pec-
catum in Spir. S. se commisisse cogitet.

V. Non omnes Apostatae sunt Peccatores in Sp.
S. cùm in multis aut plenè libera voluntas; aut in-
tellectus satis informatus desideretur. Alterum au-
tem illorum si absit, sunt quidem illi Peccatores in
Filiis Hominis, nondum tamen Spiritûs blasphemiam
commiserunt, ne habent, quod de veniâ, se-
riâ interveniente pœnitentiâ, desperent.

TANTUM!

כבוד ליהודי אלהינו

HOrrendum facinus loqueris, MÖLLERE, quod ultro
Abnegat assumpti dogmata pura Libri;

Et meritò dicis: Veniam non posse parari

Huic sceleri, in nihilum vota quod ire jubet.

Hosce Tuos ausus summus fortunet Iova,

Dent PATRIÆ PATRES premia digna Tibi!

JOHANNES MEISNERUS, D.



Coll. diss. 4 199, mix. 35